

Catalogus

- 1/ *Præcepta Legibus Humanis,*
sed non Divinis solutus,
Joh. Franc. Buddæus Haleæ.
1695.
- 2/ *De Personis Egregiis, earumque*
Junibus Henr. Aldelbrand
Althof. 1693.
- 3/ *Græc. Memorien = Rych*
Deo Wittungy 7. Jene
J. Philipp. Müller Jene
1699
- 4/ *Ob einer Tubenisse Abtissin*
in Frankfurt, 21. 22. 23. 24.
Apr. Römer. Henr. Jantzer
Bulemanus K. fixa Lust
an Metz. 1692
- 5/ *De Foro Illustris Filij Delin-*
quentis. Jo. damm Klein
Rostock. 1697.



- 6/ De Proverbijs Studiosorum
ex Auth. Aabit. C. ne filius pro
Patre & Lucas Beckmann
Witteberga 1702
- 7/ De Sumptibus Studiosorum &
Johann Boefferus. Franck.
ad Vind. 1687.
- 8/ Apostasia Studiosorum
J. S. Witte. Altdorf. 1677
- 9/ Oratio de Studijs Elegan-
tia & Herm: 1704. Dr. Hardt
Helmst. 1701.
- 10/ Oratio de Bono Academiæ.
Christoph. Henr. Ritmeyer
Helmst.
- 11/ Moralitas Graduum Acade-
micorum Franco. Albert
Appianus. Rostrob. 1702

- 12 / De Magisterio & Brandung
Henr. Oebhardi Cryptist.
1695
- 13 / Positiones Juridicae de Do-
ctore Jure Bullato, Utr.
Marbach. Argentor. 1695.
- 14 / De Characteribus boni Docto-
ris J. B. Henr. Acker
Jena. 1705.
- 15 / De Causis cur nonnulli Erudi-
ti nihil in lucem emisserint.
Jnd. Willb. Bierling
Rintzel. 1702.
- 16 / De Prolegibus Pauperum
J. S. Volk. Beckmann Jena.
1668.
- 17 / De Jure circa Furiosos &
J. S. David Lanberus
Altdorff. 1703.

- 18 / De Locis Fundosorum, Carp.
Henr. Hornius Wittenb. 1693
- 19 / Utrum et quousq; Iurid. ac Mu-
ti Feudorum sint capaces?
J. S. Henr. Berger. Lipsia
1707
- 20 / De Officio Auditoris. Barb.
Leon. Schwendendorff.
Lipsia . 1690.
- 21 / De Jure Foga. r. Diss. Inaug.
Wilhelmi Niczgori.
Hardenvoici 1710.
- 22 / De Decretoribus s. Delito-
ribus non solvendo exstent-
ibus vulgo Banquerottic-
ren. r. Georg. Welnerus
Helmstadt 1703.

- 23) De Medici Officio, Dissect I.
 Johann Bobnius Lips. 1697
24. 25. 26. Continuationes ejus
 dem Bobnij. Lipsia. 1697. 1699.
27. Microvellus Medicus seu
 Ratio Status Medicorum
 Anonymus Argent. 1698.
- 28) De Pheologis Pseudo-Me-
 dicis Georg Henricus
 Ofoetzius Lipsia. 1700.
- 29) Homerus Medicus, Joannes
 Brendelius Wittenb. 1700.
- 30) Superstitiosus Medicus, Au-
 gust. Quirn. Rivinus
 Lipsia. 1698.
- 31) Medicus Inculpatus, Dem
 Rivinus Lipsia 1699.

32/ De Medicamentis insecuris
Frider. Hoffmann; Hala.

1713.

33/ An Medicis impune occi-
dere liceat. Wills. Hud.
Waldfsmest. Kilie. 1704.

34/ Medicina Forensis W.B.
Bodn. Lips. 1690.

35. 36/ Continuationes ejusdem
Bodnij Lips. 1690 1692.

37/ Positionum Medico-fo-
rensium Ennea c
Albard. Hermann Cum-
mins. Jenæ. 1654.

38/ de Vulneribus, Henr. Rud.
Redeker. Rostoch. 1667.

39/ Synopsis Doctrina ac Medici-
cine Vulnerum Wittenb. 1673.

40 De Vulnere Letali Iustus
Henr. Mangold Rintbelij
1701.

41 Henricus Meibomius de
Vulncribus Letalibus,
Helmst. 1694.

42. de Vulneratione Letali
Frider. Philippus Lipsiae
1684.

43. de Fundamentis Letalitatris
Vulnrum, Georg Wolff.
Wedelius Jenae. 1695.

44 De Vulnere Capitis, Fre-
naus Febr. Francof.
ad Oder. 1689.

45. De absoluta Letalitate Vul-
neris Arteriae Magnae
Francof. Henricus Merc-
merster Hala. 1694.

46. De Vulneribus eorumq. Symptomatis. Ernst: Pater Wittenb. 1712
47. De Erroribus circa causas mortis subita. W. Henr. Henricerus Wittenb. 1703
48. De Efficacia Sierum Criticorum in Vulneribus de Letalitate dubiis. Georg Wolff. Wedelius. Jena 1712

No. 16.

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA

De
Privilegiis Pauperum,

Quam
JEHOVA JUVANTE,
Et

CONSENSU MAGNIFICI
in hac alma Salana Jctorum Ordinis

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Præ-Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. JOH. VOLK. Sechmanns /
Hereditarii in ~~Sbern~~ ~~Eröbra~~ / Jcti & Antecessoris Celebratissimi, Consiliarii Saxonici Eminentissimi,
Curiae Provincialis, Facultatis suæ & Scabinatus Assessoris
Gravissimi,

Domini Præceptoris, Patroni, & Mæcenatis magni, immortali honori atque filiali observantiâ
colendi,

Placide Eruditorum disquisitioni exponit

CUNRADUS Juncker / Waltershusa. Thuring.

AUTOR & RESPONDENS

Ad d. Septembr.

ANNO M DC LXVIII.

JENÆ,
Typis JOHANNIS NISI, 1702.

10. 10.

Privilegium
D. JOH. VOLK. Buchhändler

in hac auna Salana
VIT.

Hereditaria
C. 1709

Domini Praeceptor
C. 1709

C. 1709

Typis Johannis Meißner





IN NOMINE JESU!

PROOEMIUM.

PAuperes apud plerosque illorum malè audire, quibus cerebrum à calcaneo vel quinque pedum spatio distat, quique quid Jupiter Junoni, & quid Rex Reginae in aurem dixerit, sciunt, plus quàm manifestum est, scilicet isti homines alios, qui non tantarum, ut ipsi, divitiarum sunt possessores, nescio cujus non pessimi insimulant, hinc apud illos non est insolens, sequentibus vel aliis modis argumentari. Hic paupertate premitur, ideò aut bona sua dilapidavit, aut prudentia patrifamiliàs necessaria non est instructus, aut nescit leges frugalitatis, aut nimiae deditus est negligentiae, qua economiam sursum deorsum verti patitur, aut, si ulterius non possunt, redeunt ad hoc, forsitan immane aliquod flagitium commisit, ob quod à Deo pervigili illo atq; in somni oculo, cui nihil non quamlibet occultum sit, patere potest, Constit. Imp. Leon. & Alexand. affligitur. Partim etiam ideò digni odio cens-

sentur pauperes, quia nonnulli eorum sunt vilis atque servilis animi, ut nihil laudabile, nihil quod ad emergendum conducibile suscipere audeant, sed potius spontaneæ & perpetuæ se mancipient servituti. Nonnulli etiam ad eum sunt malitiosi, ut simul ac in paupertatis paludem inciderint, in varii quoque generis vitia præcipites ruant, & per scelera v. gr. furta à paupertate sese vindicare non erubescant. Verùm argumentari hac in re à positione consequentis ad det erminatam positionem certi alicujus antecedentis, & à particulari ad universale admodum est fallibile & inconstans. Contrarium asserit Qu. Curt. cum lib. 3. cap. 1. n. 393. edit. CL. Reyheri (Gymnastii Gothani Reëtoris meritissimi, Præceptoris quondam mei fidelissimi) dicit de Abdolomino; causa ei „paupertatis, sicut plerisque, probitas fuit. Quicquid autem sit de hisce, paupertate tamen fordescimus, paupertate deprimimur, & vilescit per eam etiam dignitas Ecclesiastica, ut loquitur Alex. de Imol. in conf. 52. vol. 4. Et hoc de facto ita fieri & dives & pauper confitebitur, ille activè, hîc passivè experitur, ad eum quidem, ut ille, qui divitem vocaverit pauperem sive debitorem, possit actione injuriarum pulsari ut notat Gothofred. ad l. sed est 9. π. de injur. Hoc quoque in Academiis ita obtinere, quis

quis literatorum nescit? imò hoc malum per omnes omninò status reperit, per omnes regiones, urbes, domos, hinc pauper ubique jacet; quid? quod, etiam interdum pauper pauperiorem contemnit. Et hæreo, annon contemptum rectè maximum & molestissimum paupertatis incommodum dixerim, quo fato, nescio, hic perpetuus fit paupertatis comes, inseparabilia separat, qui hæc separare velit. Verbo. Multis pauperibus vita est supplicium, mors verò solatium. arg. l. quisquis. §. 1. C. ad L. Jul. majest. Verum enimverò nec divitum in quarto modo proprium est morum integritas, nec pauperum vitæ vilitas, quod concinno simili explicat Seneca, quem infra cap. 3. art. 3. adduxi. Paupertas enim abstractivè considerata non est de genere malorum, *Utmuth ist keine Schande / noch Unehre / Myrer Process.* hist. part. 1. cap. 7. obs. 2. num. 22. Et si quis divitum vitia recenseret, certarent sine dubio cum pauperibus. Nonne enim plurimi divitum sunt ambitiosi, avari, superbi, injurii in alios, contemptores, luxuriosi, feroces? adeoque non est, ut cum illo tam operosus Deo agant gratias, quod non sint sicut cæteri. Et si vellem paupertatem intimius considerare, non omni laude erit defraudanda, quippe multi majori modo incitantur ad capeffendas virtutes, secundum

dum illud Chrysoſt. homil. 9. ſuper I. Timoth. 3. Πενία
 καὶ ἀνομίαι καὶ ἐχθρὸν ἐν δόξῃ, liberiori à curis animo
 poſſunt vivere, non ſunt ad eò expoſiti periculoſis fu-
 rum inſidiis, aliisque innumerabilibus malis. Hinc
 Seneca Epift. XVI. paupertas, inquit, expedita eſt, ſecu-
 „ ra eſt. Cum clafficum cecinit, ſcit non ſe peti, ſi ali-
 „ qua conclamatione eſt, quomodo exeat, non quid ef-
 „ ferat, quærit. Si navigandum eſt, non perſtrepunt
 „ portus, nec unius comitatu inquieta ſunt litora.
 „ Non circumſtat illum turba ſervorum, ad quos pa-
 „ ſcendos transmarinarum regionum eſt optanda
 „ fertilitas. Parvo fames conſtat, magno faſtidium.
 „ Paupertas contenta eſt, deſideriis inſtantibus ſatisfa-
 cere: Et Epift. XX. Magnus eſt ille, qui divitiis pauper
 eſt, ſed ſecurior, qui caret divitiis, hæcenus ille. E con-
 trario divitiæ sæpe ſunt impedimenta, non adjumen-
 ta, onera, non ſubſidia, & multis paſſe divitias non
 finis miſeriarum fuit ſed mutatio. Quid? quod opti-
 ma sæpe re, nimirum quiete & tranquillitate deſtitu-
 untur divites, dum multas tranſigunt noctes inſo-
 mnes, cogitando ſcilicet, quomodo divitias paratas
 augere, auctas conſervare velint. Brevibus. Divitiæ
 ſunt ſplendida miſeria. Non igitur poſſumus non
 exclamare cum Horatio, lib. II. Carm. Od. 16,


--- -- nihil eſt ab omni
 parte beatum,

Pro-

Proinde merito ille ingentis animi esse judicatur, qui divitias circumfusas sibi multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet, suasque audit magis esse, quam sentit. Senec. Epist. XX. Caterum quoniam ad vitam civilem feliciter transigendam pro cujuslibet conditione & statu aliquales requiruntur divitiæ, hæ etenim sunt secundus sanguis gloss. & ibi Bald. in l. advocati. C. de Advoc. div. jud. 1. & pecunia est nervus, imò *αἷμα τοῦ ψυχῆ* civitatum, Welenb. in paratit. tit. de offic. quæst. pauperes autem ob illarum defectum minus commodè in ea vivere possunt, idè non tantum Jura nostra multis in casibus suppleat, quod illis deest, sed etiam Deus summus Legislator insignem curam habuit pauperum, illisque multis modis prospexit; ut inter alia videre est. Exod. c. 22. v. 25. & c. 23. v. 2. & 6. Levit. 10. v. 30. Deuter. c. 15. v. 4. 7. 8. 9. 10. & II. it. c. 24. v. 12. 14. 15. Psalm. 9. v. 10. Proverb. c. 14. v. 31. II. c. 17. v. 5. it. c. 28. v. 27. & c. 29. v. 7. Esaia c. 10. v. 2. Jerem. c. 5. v. 28. Amos c. 4. v. 1. c. 5. v. 11. & c. 8. v. 4. 6. Sexcenti loci his paralleli possent afferri, si opus esset. Propterea hanc materiam hac vice pro modulo ingenii tractandam selegi, tum quia utilitas, quam habet in foro, non est nulla, tum ut laborando & conquirendo privilegia pauperum mihi

mihi quoque paupertate laboranti solatium & respirationem quandam quærerem. Duo autem sunt L. B. quæ à tua humanitate decenter rogito, primum, quod hanc materiam non pro dignitate & amplitudine suâ elaboraverim, ne imputes voluntati, sed partim exiguæ facultati, obstitit enim nocitura ingenii tantæ materiæ succumbentis inopia; partim propter alia magis necessaria huic disputationi non omne tempus erat tribuendum. Fortè etiam quodammodo illud me excusabit: Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra. Deinde non spero, te mihi ideò succensurum, quod imitatus fuerim illos, qui dum nesciunt viam, qua perveniant ad mare, amnem ducem sequuntur; Sufficiat p. t. pervenisse si non ad mare, saltim ad litora ejus, non enim cuilibet datur intrare profundum, nisi Urinatoribus. Ubi igitur erravi, æqui bonique consulere ne dedigneris.

CAPUT



CAPUT I.

ARTIC. I.

In quò diversæ acceptiones vocis
pauperis & paupertatis propo-
nuntur.

DE Erymologia *pauperis* non attinet multa **1**
dicere, notum enim est, quod pauper Var-
roni *lib. 4.* à paululà re, Josepho Scalig.
à Græcò *πᾶρ* dicatur, Becman, *de Orig.*
Lat. lingv. p. m. 360. Antequam autem **2**
hic exhibeatur diversa *τῷ* pauper acceptio,
res quodammodò longiùs venit arcessenda. Consideran-
da verò est hominis conditio sive status, isque *vel primor-*
dialis, vel medius, vel ultimus. Quoad *primordiale* **3**
omnes nudi nascimur, secundum illud Plutarchi *de Amor.*
prol. Nihil tam inops & nudum, ut homo à partu statim
conspetus. Et Seneca *Epist. XX.* nemo, inquit, nascitur
dives, quisquis exit in lucem, jussus est lacte & panno esse
contentus. Eadem conditio est *ultimi Status*, qui per mor- **4**
tem naturalem priori succedit, Arn. de Reyg. *Theaur. Jur.*
sub voce paupertas in addit. n. 9. unde Lucret. *lib. 2.* canit:

*Cadet idem retrò de terrâ, quod fuit ante
in terris*

B

Imò

- 5 Imò ipse quoque SACER. CODEX hoc confirmat, *Job. 1. v. 21.* ubi dicit Jobus; nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Cui ad stipulatur summus illè gentium Doctor Paulus, *1. Timoth. 6. v. 17.* inquit, nihil intulimus in mundum, manifestum est, quod nihil quicquam efferre possimus. Sed ab his discrepat tertius & mediùs status, in quò homo multis modis bona possidere & sibi appropriare valet. Et hinc paupertas dicitur qualitas naturalis, divitiæ verò qualitas accidentalis sive adscititia.
- 7 Dn. Brunnem, *ad l. ex personà 3. C. de Probat.* Quem admodum autem varii sunt modi acquirendi divitiæ, ita quoque via ad paupertatem iterum veniendi est tritissima
- 8 & multiplex. Alius enim *propria culpa* se paupertati mancipat, exercetque artem chymicam, dum aurum facit portabile, & hâc ratione omnia sua bona dissipat, cujus generis homines, *l. lege 1. π. de Curat. furios. vel al. dand.* dicuntur *prodigi*, qui scilicet neque tempus, neque finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt, & comparantur cum furiosis, accipiunt etiam
- 9 Curatores ut furiosi. Alius *vi majore seu casu* *Prætor. 1. §. 1. π. de Incend. ruin.* in paupertatem incidit, ut qui jacturam facit in mari, ubi sæpè verum est, quod dicitur:

Irus est subito, qui modò Cræsus erat.

quapropter leges nostræ naufragium passos ob miserimam fortunam, *l. 3. in fin. d. t.* dignos crediderunt suâ observatione, *vid. tot. tit. de Naufr. ruin.* Quidam bello etiam ad incitas rediguntur; Bellum autem *h. loc.* vel publicum, vel clandestinum dicere liceat; Publico bello, tam ipsi plebique bellantes seu milites (de quibus Germani in proverbio dicunt: *Ein junger Soldat/ein alter Betler*) quam bellum

II.

bellum seu deprædationem **das Plündern** patientes efficiuntur pauperes. Clandestino v. gr. latrocinio, furto, paupertas etiam multis imponitur. Porrò calamitate **durch Geld-Schaden oder Mißwachs an Früchten / incendio, durch Brand** multi fiunt pauperes. Insuper cessio bonorum adjutorium quidem, sed admodum flebile *l. 7. C. qui bon. ced. poss.* præbet viam ad paupertatem, exuuntur enim cedentes interdum ad saccum & peram usque non relicto denario. Mævius *discuss. levam. inop. debit. c. 4. sect. 2. n. 1.* exceptâ veste & lecto. Ulterius affectata etiam invenitur paupertas, cuius furfuris homines sunt (1) avari, qui quidem sæpè grandem pecuniæ summam habent in arca repositam, sed Diabolus habet *clavem* illius arca, ut loquitur Schuppis *in loc. quodam.* (2.) Monachi eorumque socii, quorum quidem melior est conditio quàm Tantalii; hic enim in sufficientissimâ rerum affluentia erat egenus, illi verò in ipsâ (ut volunt dici) paupertate omnium rerum copia abundant. Notatu digna est nota Gothofred. *ad l. cum de indebito. 25. §. si autem. 1. π. de probat. & presunt.* ubi dicit ad voces *desidia deditus, i. e. Monachus.* Egregia descriptio seu explicatio *αδ'. ἐξοχήν* sic dicta. Simile fermè exemplum refert Magnif. Dn. Præses, *Patronus atque Promotor meus magnus, cujus beneficia cum quotidie in me exuberent, ego ad gratiarum vel agendarum indices magis magisque redigor inopiam,* in Comment. suo ad Pand. Tom. II. part. 2. fol. 246. n. 80. de mendico quodam falsario, qui paratam pecuniam *600. floren.* secum habuit. Sed hæc dixisse sufficiant de extantioribus modis ad paupertatem perveniendi. Nunc specialiora de personis, quæ pauperes dici possunt & in iure dicuntur, proferenda. Indubitatum autem est, 16

- rem certò non posse determinari, sed plerumque subiacere arbitrio Judicis, qui secundum qualitatem personarum & quantitatem patrimonii, ex opinione vulgi, quem judicabit pauperem vel divitem. Schneid. *ad tit. Instit. quib. ex*
- 17 *caus. manum. non lic.* Et paupertas vel divitiæ ex diversarum regionum, personarum & temporum qualitate æstimantur. Speckh. *cent. 1. quest. 38. n. 2.* Bart. *l. si constante. n. 14.* Ripa, *sub n. 26. solut. matrim.* Arnold. de Reyger *Thef.*
- 18 *Jur. voce paupertas n. 16.* Interdum quoque pro diversitate materiæ, de quâ tractatur, etiam diversimodè pauper accipitur. Aliquando denotat illum, qui parum habet, ut dicitur *in not. ad l. id quod. 24. C. de Episc. & Cler.* ubi etiam differentia inter inopem & pauperem additur, vide *art. 19 seq. 2. n. 38.* Frequentissimè pauper accipitur pro illo, qui minus quàm quinquaginta aureos habet in bonis. *l. nonnulli 10. π. de accus. & inscript. Ordin. Curia provinc. Jenson. cap. 32.* Nonnunquam etiam pauper is dicitur, qui tantum in bonis non habet, quantum causa, in quâ ipse deponere debet, valet. *Uyter process. histor. p. 1. c. 7. obs. 2.*
- 20 *n. 4. seqq.* Etiam ille vocatur pauper, qui non habet, unde solvat certum debitum, cujus respectu contenditur. Mascard. *de prob. conclus. 154. n. 16.* Dicitum *supra n. 16.* pro qualitate personarum judicium ferendum esse de pauperibus, hinc Nobilis, licet *centum* in bursa habeat aureos, ex quibus vivere possit, dignitatem tamen & statum suum servare non valeat, pauper appellari potest. *Uyter* ex Bald. *d. loc.* Et cum Mascard. *d. conclus. 154. n. 13. & 14.* & Me-
- 21 *noch. cas. 65. n. 8. in fin.* consentit Speckh. *d. quest. 38. n. 5.* dicens, quod vir nobilis & primarius, etiam si, *ducenta* aut *quadringenta* habeat in bonis, non tamen pro dignitate & quali-

qualitate personæ suæ, dives rectè dici non potest, cum
 ex fructibus & reditu istius summæ, satis honestè se exhi-
 bere non possit. Rusticus tamen, si tantum possideat, di-
 ves habebitur, & reputabitur. Klock. *de contrib. cap. 18.*
n. 77. In materiâ excusationum à curâ & tutelâ ille paupe-
 ris nomine venit, qui labore & sudore suo victum quarere
 cogitur. Schneidew. *cit. loc.* In Materia legatorum ille
 est pauper, qui nihil proprii habet. *vid. infra cap. 3. art. 4.*
 ejusmodi pauperes Germanis denotantur his verbis: **Die**
nicht mehr haben/als von der Hand in Mund/h.e. quod
manibus & labore acquirunt, statim in cibum & potum im-
pendere coguntur. Ex his igitur patet, paupertatis defi-
 nitionem ferè ex subjectâ materiâ & negotiò, de quò agi-
 tur, à Judice secundum arbitrium suum esse desumendam.
 Menoch. *lib. 2. de arbitr. c. 65.* Vincentius Marcinus *d. tr.*
quest. princ. 7. n. 10. Heig. *ad Instit. fol. 11. n. 4.* Excludun-
 tur autem hic illi hominiones, qui laborum & honesta-
 rum negotiationum pertæsi, quosvis morbos contra natu-
 ræ consuetudinem fingunt sibi què appingunt, & mendi-
 cando per varias regiones discurrunt, nullibi habitant, &
 tamen ubique sunt domi, imò reperiuntur adhuc hodiè
 nebulones, qui in pagis & oppidis ostiatim quadrupedes
 sæpè repunt, extra verò & in itinere absquè illo impedi-
 mento & erecti ambulant; de quibus vid. Dn. D. Fritsch. **25**
tract. de valid. mendicant. ubi cap. 13. n. 2. doleamus, inquit,
 Sacrosanctam illam legem *unic. C. de valid. mend.* tam ne-
 glectam atque adeò penè jacere sepultam neque diligen-
 tius revocari in usum. Sed tamen non indistinctè omnes **26**
 supèrem petentes hic intelliguntur, quis enim negabit, pau-
 perem dici & perhiberi eum, qui ostiatim victum quaritat,
 & discal-

- & discalceatus, squalidus pannisque obsidus incedit. Mascard. *d. loc. n. 16.* Nonnulli etiam pauperes vocantur
- 27 **Haus-Arme**; domesticorum autem pauperum appellatione veniunt ex communi usu loquendi, illi, qui vel senio, vel alio impedimento detenti, domi penuriam patiuntur,
- 28 Wehner. *pract. obs. voce Armuth.* Pauper ulterius etiam ille dicitur, qui confugit ad hospitale. Mascard. *d. conclus. n. 54. n. 17.* In pauperum catalogum etiam recipitur, qui sua decoxit, & fugam ob id cepisset, quem vulgò fallitum (germ. **der Bancorrupt gespielet hat.** Latin. qui mensam vertit seu bancam ruptam fecit) vocamus. Mascard. *ibid.*
- 29 *n. 29.* Pauperes etiam habendi, habentes pradia, sed desolata & inculta, magni oneris & nullius frugis. Dn. Fritsch. *in addit. ad Reyg. n. 7.* Ad pauperum insuper consortium accedunt illi, qui soliti sunt in magnâ summâ non item in parvâ pro aliis fidejubere, Wehner. *pract. obs. voce Arm.* nec non ille, qui excussionem bonorum ad Judicis mandatum passus est; imò etiam pauper est, qui pecunias mutatas sub usuris retinet. Mascard. *sepe cit. loc. n. 30. usque 34.* cuius frater est ille, qui versuram facere cogitur. Wehner.
- 31 *d. loc. voce arm werden. n. 4.* Nam hi meritò dicendi pauperes, quia semper manent debitores, hinc Seneca *Epist. LXXXVII.* dicit: cum omnia dixeris, pauper est, quare? quia debet. Usuræ etiam sunt voraces, & exhauriunt facultates hominum. Wehn. *d. loc.* Eiusdem conditionis est ille, qui nec bona, nec artem, nec divites consanguineos aut propinquos habet, unde se alere, quique ipsi sumtus subministrare & suggerere possint. Mascard. *d. loc. n. 35. usq.*
- 33 37. Puella tamen etiam si ex artificio vivere possint, si tamen non habeant, unde dorentur (cum apud plerasque
forma

forma sit dotis loco, Magnific. Dn. Præf. d. *Comment. Tom. I. part. 1. fol. 404. num. 29.*) pauperes nihilominus dicuntur. Mascard. *ibid. num. 28.* quis sit pauper scholaris *vid. infra cap. 3. art. 4.* Imò Reginam (quod subduriusculè dictum 34 videtur) suo statu inspecto dici posse pauperem & miserabilem personam, asserit Arnold. de Reyg. *cit. loc. n. 67.* quod aliis exputandum relinquo. Extremum claudit agmen 35 & fex pauperum est, qui malis moribus infectus est. Menoch. *de arb. cas. 65. n. 13.* Et hoc modo quoad corporales facultates Iro pauperior, quoad animi divitias, si illis instructus, Cræsus rectè dicitur & habetur. Leges enim non 36 facultatibus, sed moribus æstimant homines. *arg. §. ult. Instit. §. 1. quia. 6. π. de susp. tut.* Et boni mores divitiis prævalent. Arnold. de Reyg. *d. l. n. 48. vid. inf.* Hæc de diversis acceptionibus pauperum; quænam autem sint hujus loci ex subseqq. poterit constare.

ARTIC. II.

Exhibet Synonymiam

pauperis vocabuli.

Quod ad Synonymiam spectat, pauperes in jure nostro 37 etiam dicuntur mediocres, *l. nec quicquam 9. §. observare 4. π. de offic. Procons.* hinc paupertatem dicere possum mediocritatem; Græcis est *μειώρας*, aliàs *πενία*, ulterius vocantur tennes, exhausti. *l. Rescripto. 6. π. de mun. inopes l. cura. 4. §. 2. eod.* miserabiles etiam dicuntur, quippe miserâ sunt digni, ut & tenuis vitæ homines. *Cicero pro Rosc. Amerin.* Differunt autem plerumque pauperes ab 38 inopibus in eò, quod pauper parum, inops nihil habeat. Gotho-

Gothofred, *in not. ad l. iil. quod. 24. C. de Episc. & Cler.* Ab
 allis sic distinguntur, pauper dicitur, qui centum aut
 quinquaginta ad minus in bonis non habet, inops qui mi-
 nus habet quam pauper, mendicus, qui minus quam in-
 ops, miserabilis vero qui nihil in bonis habet. *Jas. in l. si
 constante. n. 144. π. solut. matrim.* Arnold. de Reyg, *Thes.*
Jur. voce paupertus. n. 3. Gail. obs. 142. n. 8. Menoch. de ar-
bitr. jud. quest. lib. 2. cas. 66. Speckh. cent. 1. quest. 38. n. 27.
 39 Egestas quoque à paupertate differt tanquam majus & mi-
 nus, quod declaratur ex Seneca, qui *Epist. XVI.* Non est,
 inquit, quod paupertas nos à Philosophiâ revocet, ne ege-
 40 stas quidem. Caterum apud bonos etiam Autores paupe-
 ries accipitur quidem pro Synonymo paupertatis, e. gr.
 apud Horat. 3. *Carm. Od. 24.*

*Magnum pauperies opprobrium, jubet
 Quidvis & facere, & pati, &c.*

Et apud Mantuan. *Eclog. 1.*

Pauperies inimica bonis est moribus.

Cujus generis exempla plurima reperiuntur in Lexicis.
 Imò *pauperies* in hac significatione reperitur, in *Imp. Const.*
 & quidem *Const. 1. Imp. Nicephori circ. med.* verba sunt hæc:
 37 Sextum tyrannicum institutum, quod à Magistratibus in-
 spici res eorum jussit, qui ex *pauperie* subito ad opes per-
 41 venissent. Verùm secus se res habet aliàs in Jure nostro.
 Nam *pauperies* denotat damnum sine injuria facientis da-
 tum, ut notissimum est ex §. *pauperies. 2. Instit. si quadr.*
quæ paup. fec. dic. & l. si quadrupes, 1. ait Prætor. 3.

n. eod. Hæc de Synony-

83 *miâ.*

ARTIC.

Complectitur Descriptionem pauperum.

Ordo nunc postulat, ut descriptionem aliquam tradam. 42
Præmitto autem prius descriptionem paupertatis tanquam abstracti, ex quâ facilius concreti deinde descriptio potest formari. Mihi autem videtur *h. loc.* sic posse describi citra tamen præjudicium ullius alius melius sentientis. *Paupertas est carentia divitiarum propriarum, quantas quisque possideat necesse est, ad vitam in societate civili secundum statum & conditionem suam feliciter agendam.* Jam pauperem dico eum, qui tantum in bonis non habet, quantum requiritur ad hominem secundum statum suum in civili vita viventem. Non verò iudicio listi cautionem 43 præstabo, nec in hâc materiâ paupertatis locupletem fideiussorem invenire potero, si fortè quidam subtilius & imò superstitiosius Philosophantes me convenire vellent de insufficientiâ & imperfectione descriptionis. Sufficiat, talem dedisse, per quam quis qualiter qualiter in rei cognitionem introducat, & res qualicunque modo intelligi, & ab aliis distingvi possit, cum sæpè rei natura non patiat, ut dentur definitiones, ad quas ceu ad lapides exasciatos amussis subtilitatis Philosophicæ possit applicari *vid. locum Aristot. 1. Ethic. 1.* quem Magnif. Dn. Præses in suo *Comm. ad Pand. Tom. 1. part. 1. f. 6. n. 20.* adduxit. Descriptionem 44 feci negativam, quia ipsa res consistit in pura negatione, unde à Dd. vocatur ens privativum. *vid. Arnold de Reyg. Thef. d. loc. n. 9. in Addit. Dixi secundum statum suum;*

C

nam

nam certè in primariò & nobili viro plus requiritur quàm, in inferioris subcellii cive, junge quæ posui *supra artic. 1.*

45 *num. 21.* Ulterius fit mentio *vite civilis*, partim ut distingatur paupertas à mendicitate, in quâ non tantum vita civilis, sed & naturalis vix toleratur; partim ut subindecatur effectus seu consequens, quod paupertas secum trahit, scil. discommoditatem, quâ civis pauper impeditur honorificè, decenter atque expeditè in omnibus civilibus actionibus sese exhibere, officia Magistratui & concivibus debita præstare, omniaque facere, quæ civi & subdito con-

46 veniunt. Et hoc eò magis confirmatur ex particulâ in descriptione additâ, *feliciter*. Transigitur quidem vita pauperum, sed vix ac summâ cum difficultate, & ut loquuntur Germani, *mit Sorgen und Vorgen bringen sie sich*

47 *doch endlich durch*. Elegantissimus hanc in rem locus Senecæ, *Epist. LXXXVII.* quem nec apposuisse nec legisse pigebit. Paupertas non per positionem, sed per detractiorem dicitur, vel (ut antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt *ἔσθρον*, non quod habeat dicitur, sed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri potest, divitias multas faciunt, non multas inopiâ. Aliter quàm debes, paupertatem intelligis. *Paupertas est non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet*. Ita non ab eò dicitur, quod habet, sed ab eò, quod ei deest. Facilius quod volo exprimerem, si Latinum verbum esset, quod *ἀνὸν ἀξία* significatur. Hanc paupertati Antipater assignat. Ego video, quid aliud sit paupertas, quàm parvi possessio.

ARTIC.

Quomodo quis probare possit, se esse pauperem.

Homines neque pauperes, neque divites præsumuntur. Non divites, quia parta indices consumuntur, neque enim de ventô quis præsumitur vivere, per *l. final. C. de alim. pup. prest.* Et vulgò dicitur:

Haud minor est virtus, quam querere parta tueri.

Non pauperes, quia homines naturaliter industrii & laboriosi ad acquirendum habentur, *l. si defunctus 10. C. arbitr. tut.* quod Baldus confirmat, inquiring in *l. ex persona 3. C. de probat.* paupertatem non esse habitum permanentem, & vulgus in proverbio dicit: **Es könne ein junger Mann wohl dreymahl verderben oder verarmen / und dennoch wieder gerathen.** Contradicit his glossa in *c. semel de R. J.* quæ quemlibet præsumit pauperem. Hinc necesse est, ut aliquid de probatione paupertatis præmittam. Major quidem præsumtio est pro pauperibus, est enim qualitas naturalis, cum pauperes nascamur, & divitiæ sunt qualitas adsciticia, hinc meritò pro qualitate naturali militat præsumtio, qui verò in divitiis se fundat, se in qualitate accidentali fundat, ideò probanda hæ ab allegante, cum qualitas accidentalis sit probanda. Sed si paupertas etiam pro fundamento intentionis allegatur, utique ab allegante, quoque probanda. Brunneman, *ad l. ex persona 3. C. de prob.* Gothofr. verò *ad l. paupertatis 4. π. de excus. art. 3.* Verum neque honesta est, *l. 2. pr. C. quand. & quib. quart. pars. debet.*

debet lib. 10. neque sufficiens videtur nuda hæc paupertatis allegatio & confessio. Nihil enim frequentius fermè est, quàm quod divites plerumque sint procliviores ad avaritiam, quàm ad prodigalitatem; Jam autem avari nunquam expleantur, sed semper egent, nihilque magis simulant, quàm paupertatem, &

quò plus sint potæ, plus sitiuntur aquæ.

- 52 Hinc alleganti se pauperem incumbit onus probandi, quæ probatio quinque modis ut plurimum solet fieri. Vel enim relatione vicinorum, vel testimonio sui Magistratus, vel juramento, vel famà, vel testibus probatur. Relatione & testimonio vicinorum probatur ideò, quia vicinus regulariter præsumitur scire facta vicini, Carpzov. *Jurispr. Con- sist. lib. 2. desin. 225, num. 9.* Veluti si testis deponat, Titium esse pauperem, quia non habeat nisi viginti in bonis, & si plus haberet, sibi propter vicinitatem incognitum esse non posse. Mascard. *Conclus. 1154. n. 23. 24. 25. 26.* Gail. *lib. 1. observ. pr. observ. 142. n. 6. in princ.* Testimonio Magistratus ejus loci, in quò ille domicilium habet, qui paupertatem vult probare, creditur. Gail. *observat. 142. num. 6.* & ex eò Speckh. *cent. quest. 38. num. 22.* Nam Magistratus quoque præsumitur scire facultates suorum civium. Juramento etiam probatur paupertas, | quod vocatur juramentum paupertatis, cujus formalia in *Curie prov. Jenensis Ordin. c. 32.* hæc sunt: Ich gelobe und schwere / daß ich also arm / auch weder an liegender noch fahrender Haab / oder gewissen Schulden / deren ich mächtig seyn könnte / nicht über funffzig Gulden Werth habe / und demnach die Hof-Verichts-Gebühr nicht entrichten / noch die Advocaten und andere / ihrer Mühe und Arbeit / der Ordnung

nung gemeß / belohnen kan / daß ich auch umb dieser Eh-
 des Leistung willen / meine Haab und Güter / gefährli-
 cher Weise nicht vereußert / unterschlagen / oder andern
 übergeben / und so ich meine Sachen im Stande des Reich-
 ten erhalten / oder sonst zu bessern Aufnehmen und
 Vermögen kommen werde / daß ich also dann / iedem nach
 seiner Gebühr und Verdienst / erbarlich danckbarliche
 Aufrichtung thun wil / als mir **GOTT** helffe. **56**
 etiam fama probatur, si quis communiter & ex communi
 famâ pro paupere reputatur, quod tamen limitat Mascard.
d. conclus. 1154. n. 20. ita, si de modico tantum præjudicio
 agitur, verum est; sin autem de magnò, fama communis
 non facit plenam paupertatis probationem, sed probatio-
 nis adminiculum, quæ probatio deinde Judicis arbitrio
 relinquitur. Porro tunc quoque demum procedit secun- **57**
 dum communem opinionem, si fama, de quâ testes atte-
 stantur, sit conjuncta cum credulitate, i. e. scientia atte-
 stantium. Scil. si testes dicant, Titium non solum esse pau-
 perem, sed etiam manifestè & evidentissimè pauperem.
 Mascard. *d. loc. n. 21. 22.* Anton. *Quésada cap. 31. contro-
 Jur.* Testium denique depositione paupertas probatur, **58**
 & quidem ejusmodi; Titius habet tot bona, puta decem
 aureos, & si plura haberet, ipsi scirent, nec ullo modo
 ignorare possent propter maximam & peculiarem patri-
 monii ipsius notitiam. Mascard. *d. loc. num. 39.* Breviter, **59**
 paupertas satis probata dicitur, concomitante legis præ-
 sumptione. Klock. *vol. 3. cap. 163, n. 13.* Sufficit etiam, pau-
 perem esse talem tempore probationis, nec præsumitur
 istam negativam esse postea sublatam & eversam, Brunnem.
ad l. si uxor. 2. C. si vend. pign. agatur.

CAPUT II.

ARTIC. I.

Quid Advocati debeant
pauperibus.

- 1 **Q**uamvis *l. nonnulli. 10. π. de accus.* expressè prohibeantur accusare pauperes, ne propter paupertatem acceptà pecunià indebitè accusent. Hippol. de Marti. *in pract. crim. §. sequitur. n. 206.* Tamen hodiè non tantùm admittuntur in judiciis, sed etiam eximiis gaudent privilegiis, & nequaquam paupertas repellit ab accusatione, (& aliis juris & iudicii articulis) pauperem honestæ fidei ac vitæ, ut scribit Gothofr. *ad d. l.* Enimverò quid æquitati propinquius, quàm istas miserabiles personas, quibus sæpè non jus, nec probatio, sed sumtus deficiunt, aliquo juris remedio sublevare. Hinc ipse quoque Sacer Codex pauperum curam nobis commendat, ut *Proverb. 14. v. 31.* legitur, qui miseretur pauperis, DEUM honorat, & *Ecclesi. 7. v. 35.* pauperi porrigere manum tuam, ut perficiatur benedictio tua. Hinc etiam in LL. civilibus graves sunt constituta pœna in Advocatos & Procuratores, qui pauperes derelinquunt, quippe talis potest officio privari, per *l. providendum. 7. vers. si quis verò. C. de postul. ibi: Si quis verò monitus à iudice, eà excusatione, que nequeat comprobari, cuicunque parti patrocinium denegaverit, carcat foro: sciat etiam, nunquam sibi ad agendum copiam posse restitui.* Hæc Imp. Valentinianus, Valens & Gratianus, in *d. l.* Cum quibus consentit *Ordinat. Cam. Imper. part. 1. tit. 19. §. Auf das auch,* ubi hæc habentur: *Auf das auch niemand Armuth halben*

halben Recht-los gelassen werde / so soll der Cammer-
 Richter / so zu Zeiten seyn wird / die Sachen der Armen /
 die ihrer Armuth Uhrkundt und Anzeig bringen / und
 den Eyd der Armuth in maß / wie unten gesetzt / erstat-
 ten / den Advocaten und Procuratorn / ihnen zu rathen /
 und zum Besten in Rechten fürzubringen befehlen / und
 welchen Advocaten oder Procuratorn also solche Sache be-
 fohlen werden / der soll schuldig und pflichtig seyn / bey
 der Pön Entsetzung seines Amts / die ohne Wiederrede
 anzunehmen / *ic.* Nemo quidem, invitus ut procuratio- 4
 nem suscipiat & defendat, cogitur, per *l. invitus. 156. π. de*
R. 7. & l. invitus. 17. C. de Procur. Tamen pauperum,
 causam invitus Procurator vel Advocatus suscipere debet,
 ut notat Gothofred. *ad dict. l. 17. Brunnem. ad l. pro-*
videndum est C. de postul. Rationem reddit hanc We-
 senb. *in π. tit. post. n. 3.* quia postulare quodammodo pu-
 blicum munus est. *l. famine 2. π. de R. 7. ad publica verò*
 civis obstrictus est Reipubl. Nec Magistratus pati debet, 5
 causam pauperum relinqui desertam, sed planè si nullum
 superest remedium, opus pium facit, si ex publico aut ara-
 rio elemosynarum communi sumtus suppeditat, & spe-
 cies elemosynæ est, pauperibus præbere patronos, *cap. fi-*
lius, & c. deservit. 17. quest. ult. Wesenb. d. loc. Sed huic 6
 rei hodie in plerisque Curiis aliud remedium inventum est,
 in nonnullis quippe certi sunt constituti Advocati, quibus
 salarii publicum exsolvitur, ut pauperum causas agant &
 tueantur, vocanturque *Procuratores pauperum.* Wesenb.
cit. loc. In nonnullis etiam indistinctè omnes Advocati
 tenentur pauperum causas suscipere, præstito scil. prius ab
 illis

illis juramento paupertatis, quemadmodum etiam usu ob-
 tinet in Curia provinciali Jenensi. In quibusdam etiam
 locis constituitur Advocatus fisci, ut in Ducatu Gothano,
 7 Cæterùm quilibet cordatus Advocatus procul habere debet
 causas avaritiæ, atque ex litibus tanquam ex quatuor ele-
 mentis vivere caveat, quod rabularum proprium prædica-
 tum, nam si quis Advocatus vitio illo imbutus, servabit
 odorem diu, nec facillè miserabilium personarum misere-
 bitur; cum tamen eas personas, quæ non habent, quod
 tribuant, ut *preced. n. 4. quoque indicatum*, Advocati licet
 ad id publicè non constituti, gratis patrocinari naturaliter
 obligantur, non quidem ex justitià aliquà commutativà, sed
 ex charitate & pietate, ut habet Hahn. *ad Wes. d. r. Speckh.*
centur. 1. quest. 37. n. 6. ibique allegati; & contra facientes
 8 Advocati mortali se peccato polluant. Gail. *observat. 43.*
n. 14. in fin. Hinc etiam idem laudatus Hahn. *d. loc. n. 6.*
 inter octo Advocati vitia refert, nolle aut negligere Advo-
 care in causa Justa pauperis, cum ipse Advocatus possit,
 nec appareat alius, qui advocet, & sine cujus adjutorio
 pauper opprimi creditur. In hujusmodi enim casu tene-
 tur sive ipse advocare, sive procurare, sicut Medicus me-
 9 dicari, si in simili periculo est pauperis sanitas. Quod
 adeò verum est, etiamsi Advocati juramentum præstiterint
 de non advocando sine salario, tamen hoc juramentum ad
 pauperes non extenditur, Gail. *observ. 43. num. 17.* Speckh.
 10 *cent. 1. quest. 33. n. 17.* Quod autem hic dictum est de Ad-
 vocatis, locum etiam habet in Judicibus, qui pauperum
 causas sine sportularum solutione audire, cognoscereque
 gratuito tenentur. Mynsing. *observ. 37. cent. 4. vers. item*
causa paupertatis. Roland. à Valle. *Consil. 87. n. 23. 24. vol. 2.*

Tira-

Tiraquel. *de nobil. c. 29. n. 40.* Gail. *lib. 1. observ. 43. num. 15.*
 & 16. *in princ.* Speckh. *cit. loc. quest. 37. num. 6. usque 13.*
 Quod tamen limitatur, si causam obtinuerint, & ad pin- 11
 gyriorem fortunam venerint, suntus in executione factos
 resarcire debeant, ne cum alterius jactura locupletari vi-
 deantur. Gail. *observ. 43. n. 19.* & 20. Spekh. *ibid. quest. 33.*
num. 15. junge juram. paup. sup. cap. 1. art. 4. num. 55. allega-
cum. Idem quoque in Commissariis, idem in nuntiis 12
 Camera Imperialis procedit. Gail. *observ. 43. post. princ.*
 Notarius quoque pro instrumento pauperibus confecto
 mercedem petere non potest. Roland. à Valle *Consil. 87.*
num. 30. usque ad 37. vol. 2. Schneid. ad tit. Instit. de act. §.
tripli. 24. num. 9. Tiraq. *d. c. 29. num. 4.* Ulterius etiam
 Magister sive Præceptor gratuitò & absque didactro sive
 collecta discipulos pauperes docere & instituere debet. Ro-
 land. à Valle *d. conserv. 87. num. 41.* Tiraq. *d. c. 29. num. 42.*
 Denique etiam locum habet in Episcopò vel aliò quocunq; 13
 Ecclesiarum vel Clericorum visitatore, quippe qui à paupe-
 ribus Clericis procuracionem exigere non possunt. Tiraq.
d. cap. 29. n. 42. Claudio autem hoc caput, & dum claudio 14
 videor mihi audire pauperes exclamare & ingeminare il-
 lud, quod ex Jafone affert Schneid. *ad Instit. alleg. modò*
loc. Utinam, ô utinam! benè observarent hæc impii
 Procuratores, Notarii & Advocati, qui sunt excoriatores
 pauperum, & egregiè callent Dialectum Doricam, quos 15
 Bartol. *in l. omnes populi. 9. in quest. princ. de Just. & Jur.*
 appellat canes Curiarum & devoratores civium. Posset 15
 hic etiam subungi quæstio, *An Judex sive Magistratus pau-*
peri suntus litis subministrare debeat? Verùm qui à multis
 Dd. fuisimè est tractata *vid. de eà Eberh. Speckh. cent. 1.*
quest. 35.

quasi. 35. per tot. ibique allegati. Arnold. de Reyg. sub voce paupertas num. 62. & in addit. num. 7. hinc eam sicco pede
 16 transeo, addito prius Scabinorum Hallensium Responso in causa homicidii hunc in modum dato: **Da aber Klägere Armuth halber diesen peinlichen Process, wider peinlich Angeklagten aufzuüben Unvermögens / und diese Sache gänglich von sich stellen / auch euch Amts halber diese selbige zu verführen auftragen würden / auff solchen Fall wäret ihr auff des Amts Unkosten / diesen peinlichen Process wider peinlich Angeklagten aufzuführen / pflichtig / V. R. W.**

ARTIC. II.

De

Foro pauperum.

- 17 **V**irtutem illam admodum laudabilem & homine in tantò dignitatis fastigiò positò dignissimam, misericordiam dico, in Imp. & LLatoribus habitasse, radiat etiam inprimis ex *l. unic. C. quand. Imper. int. pupill.* ubi personis miserabilibus (inter quas etiam pauperes referri demonstrant hæc verba legis, *aliquæ fortunæ injuria miserabiles*, unde qui uti vult privilegio hujus legis, debet allegare & probare, non modo se esse pupillum vel viduam, sed etiam pauperem, Carol. Molinaus *ad d. l. unic.*) tam
 18 conveniendis, quàm conventis provisum est. Illis, quod intrepidè neglectà etiam primà instantià adversarios suos possint convenire coram Principe vel supremo ejus judicio, ubi quoque adversarius tenetur comparere, gratis opponendo exceptionem primæ instantiæ. Magnif. Dn. Præses *Comment. ad Pand. Tom. I. part. 1. fol. 316. num. 15.* Ibi
 19 enim

enim nec violentiæ locus datur, nec avaritiæ vitia formi-
 dantur; ibi & innocentia profugium, & calumpniatores
 jus possunt invenire districtum. Verùm legem allegat. 20
 quoad hanc partem in Camerâ Imperiali non observari do-
 cet Magnif. Dn. Præs. *dict. loc.* scil. propter conventionem,
 quam iniit Imperator cum Statibus Imperii, unde ipsi cõ-
 gnoscunt. Habet tamen lex usum & praticari potest ab
 ipsis Statibus, ut dicit Brunnem. ad *h. leg. unic.* quod am- 21
 pliatur à Carpsov. *lib. 2. Respons. lit. 2. Respons. 19. n. 19.* &
 extenditur etiam ad viduas & pupillos divites, & juxta hanc
 sententiam decisum fuisse asserit in Senatu appellationum
 Dresdensi in *Termino Trinitatis Anno 1624.* Cæterùm ha- 22
 bent quoque in concursu multarum causarum pauperes
 hoc privilegium, quod illorum causâ prius debeat exami-
 nari, quàm divitis, Speckh. *cent. 1. quæst. 37. num. 27.* & pau-
 peri magis, quàm diviti subvenitur. Arnold. de Reyg. *sepè*
cit. loc. num. 31. His verò scil. conventis hoc datur privile- 23
 gii, quod non teneantur excedere terminos provinciæ &
 longa atque remota itinera suscipere, sed lex inquit; quin
 imò intra provinciam, in quâ litigator, & testes vel instru-
 menta sunt, experiantur jurgandi fortunam, atque omnis
 cautela servetur, ne teneantur terminos suæ provinciæ ex-
 cedere. hætenus verba legis. Verùm commune aliàs est 24
 proverbium, *Wo nichts ist/da hat der Kåyser sein Recht*
verlohren; quod confirmari videretur per *l. nam is. 6. n. de*
dol. mal. ubi propter inopiam adversarii actio inanis dicitur.
 Exemplum refert Gothofred. in *not. ad l. 9.*

§. 5. n. locat. conduct.
num. 54.

Quid pauperibus sit remissum in cautionis materia, tradit.

- 25 **A** Pertissimi Juris est, quod hodiè in forò à litigantibus, nisi bona immobilia in illò territorio sita habeant, ante lit. cont. exigatur cautio pro reconventionè & expensis, atque permanendi in lite usque ad finem, aded quidem, ut quis possit ad satisfactionem cogi, Wesenb. *in paratit. tit. qui satisf. cog.* imò adversa pars non tenetur respondere & litem contestari, quàm præstità cautione, quæ regulariter fieri solet per fidejussores. Magn. Dn. Struv.
- 26 *Syntagm. Civil. Exerc. V. th. 22.* Notanter dicitur *regulariter*; nam excipiuntur quædam personæ, quæ admittuntur ad cautionem juratoriam, inter quas sunt pauperes, ii quidem, qui vitæ integritate conspicui; Magnif. Dn. Struv. *dict. loc. th. 24.* & Magnif. Dn. Præses *Comment. suo ad Pandect. Tom. 1. part. 1. fol. 198. n. 139.* Hahn. *in not. ad Wesenbec. cit. tit. num. 10.* In hoc autem jurare debent, se credere, quod non possint, licet omnem diligentiam adhibeant, invenire fidejussores. *Iid. ibid.* Carpzov. *part. 1. 27 c. 5. def. 9. n. ult. & auth. hodiè C. de cust. reor.* Rationes autem, cur admittantur ad cautionem juratoriam, non sunt nullæ, ne sc. per difficultatem inveniendi fidejussores differantur judicia, & paupertas debitoris obstat agenti, quo minus jus suum maturè consequatur, & cum exigitur cautio, talis peti videtur, qualis præstari potest, cum nemo ad impossibile obligetur, per famosam l. 185. π. de R. J. interest etiam litigantium, ejusmodi cautionem recipi, alioqui proce-

procedi ulterius in causâ principali non posset, aliàs etiam pauperes, ob inopiam cautionis, desistere accusationibus, & persequendis suorum injuriis cogentur, Wesenb. *in paratit. cit. loc.* Ampliatur, quod favor hujus privilegii 28 etiam extendatur ad orphanotrophos, h. e. illos, qui pupillorum pauperum sunt quasi tutores, & minorum quasi curatores, qui etiam relevantur ab onere satisfactionis, per l. 32. C. de Episcop. & Cler. verba legis huc facientia sunt hæc: Orphanotrophos (nullâ subtilitate juris obssistente) sine ullo fidejussionis gravamine in emergentibus causis tam in judicio, quam extra judicium personas & negotia eorum defendere ac vindicare jubemus. Nam bene sperandum est de iis, qui propter timorem DEI parentibus atque substantiis destitutos minores sustentare, atque velut affectione paternâ educare festinant. Brunnem. *ad d. l.* Aliàs etiam 29 iam pauperibus, utut integræ existimationis, non plena habetur fides, sed quilibet, qui negotium cum illis habet, videat, an fidem illorum sequi, an alio modo sibi consulere velit. Consilium præbet glossa in Landr. lib. 2. art. 8. 30 ibi: **Das/ob wohl ein armer Mann treu und wahrhaftig und bieder seyn kan/dennoch man lieber von ihm ein Pfand nehme / denn das man allein seiner bloßen Treu glauben soll.** Crediderim tamen, tale pignus esse accipiendum à paupere, quo non ad quotidianum usum indiget, aliàs esset sine dubio iniquum arg. l. obligatione. 6. w. de pign. & hypoth. cum l. seq. 7. cod. Et hoc quoque valet in debitore ad paupertatem vergente, à quo etiam ob conditionale debitum creditor exigere potest cautionem. Marquard. *de Jur. Commerc. pag. 312.* Caterùm nullum 32 dubium est, quod pauper non possit dari fidejussor, & qui talem

talem dat, æquè est, ac si nullum dedisset, quotiens enim vitiosè caurum vel satisdatum est, idem est, ac si non esset cautum, per *l. quotiens 6. π. qui satisd. cog. vel jur. prom.* cum paria sint, nullum dare & inidoneum dare fidejussorem. Limitatur, quod pro necessariis personis qualescunque admittantur, & recusans tales, incidat in pœnam 50. aureorum. per *l. item. 2. π. in jus voc. ut cant. § l. fidejussor. 2. §. 4. qui satisd. cog. Dn. Struv. d. Exerc. V. thes. 16. § 23.*

ARTIC. IV.

Quid Medici ægrotantibus pauperibus debeant, monstrat.

- 33 **Q**uanta juris nostri sit cura, patet vel ex hõc unicò, quod non solum pauperibus quoad jura, & ita quoad animum & facultates, sed etiam quoad corpus prospexerit. Inde ne pauperes ob morbos in sanitatis imò vitæ quoque periculum incidant, ejusmodi privilegium constituit, quo Medici charitatis & pietatis debitæ moniti ægrotos pauperes gratis curent, uti docet Gail. *lib. 1. observ. 43. n. 11, 12, 13, 14.* Roland. à Valle *conf. 87. n. 25. usque 40. Myer proc. hist. p. 1. cap. 1. observ. 7. num. 17.* Præmium verò à DEO expectare debent. Bart. in *l. archiatri. 9. C. de Profess. § Med. lib. 10.* Solenne autem est Ddbus, sapissimè argumentari à Medicis ad JCtos, & vice versà. Etenim Hahn. *sup. cap. 2. art. 1. cit. loc.* sic argumentatur: In hujusmodi casu (sicil. propter paupertatem & carentiam Advocati periclitetur justa pauperis causa) tenetur Advocatus advocare, sicut Medicus medicari, si in simili periculò est pauperis sanitas.
- conf.

conf. omninò Arnold. de Reyger. *Thes. sub voce paupertas.*
num. 13. & Speckh. *cent. 1. quest. 37. num. 6. & quest. 33. n. 11.*
 Et licet Medici juramentum præstiterint de non curando 37
 sine salario, sicut Advocati de non advocando, tamen hoc
 juramentum ad personas pauperum non porrigitur, sicut
 iterum ab Advocatis ad Medicos argumentatur. Speckh.
cit. loc. num. 17. ubi dicit: puto igitur, rectè hoc ad Medi-
 cum quoque extendi posse, cum argumentum à Medicò ad
 Advocatum, & conversò, nisi specialis subsit diversitatis
 ratio, rectè procedat. Exhibet autem exemplum specia- 36
 litatis, *ibid. quest. 32. num. 8.* & probat, quod Medicus cogi
 possit, ut infirmo medeatur, etiam si de salute ejus desperetur,
 cum Advocatus non debeat suscipere causam desperatam
 patrocinium, per *auth. hodiè jurant. C. de Judic.* Ratio 37
 specialitatis hæc est, quoniam Medicus, suscipiendo curam
 desperatam neminem lædit, Advocatus verò, protegendo
 causam injustam, lædit adversarium suum, & peccat in-
 præstitum juramentum, hoc casu argumentum à JCrò ad
 Medicum (licet aliàs regulariter sit validum) non procedit.
 Causa verò quæ Medicos ad hoc officium gratuitum 38
 compellit, hæc assignatur, quod apud Medicum non debet
 plus valere pecunia vel bursa, quàm vita morituri. *c. non
 satis. 86. distinct.* Schneid. *ad Instit. tit. de act. §. tripli. 24.
 n. 10.* Nec debent Medici dedignari, pauperibus succurre- 39
 re, cum laudabilius sit honestè obsequi tenuioribus, quàm
 turpiter servire divitibus *d. 1. archiatri. 9.* ubi Johann.
 de Platea dicit, quod cura pauperum honestissima, cura-
 divitum spe præmii omisissis pauperibus Medico sit turpissi-
 ma. Et in Medicò tanquam in Judice non debet esse per-
 sonarum acceptio vel respectus. Speckh. *dict. loc. num. 12.*
 Quod

- 4^o Quod si Medici sicut Advocati pauperibus gratis inservire detrectent, sub pœna non solum pecuniaria, sed etiam, privationis officii arctari & compelli possunt. Francisc. Ripa. fol. 33. num. 100. Andr. Gail. *observ.* 43. num. 11. 12. & ex illis Speckh. d. loc. num. 16. add. l. si Medicus 3. π. de extraord. *cogn.* Usque adeò, ut contra facientes Medici, mortali se peccato polluant. Gail. d. *observ.* num. 14. in fin. Sed hoc tantum procedit in pauperibus extrema paupertate laborantibus, & qui juramentum paupertatis præstiterunt. Speckh. cit. loc. num. 19.

CAPUT III.

ARTIC. I.

De

Privilegio pauperum in materia
usurarum.

- 1 AN usuræ sint licitæ, satis controvertitur tam apud Jctos, quam Moralistas. Pro negativâ sententiâ multa afferuntur à Dd. vide sis Magnif. Dn. Præsidem in *Comment. ad Pand. Tom. II. part. 1. fol. 5. num. 10. seqq.* ubi rationes utriusque sententiæ atque eas responsiones habet, & tandem suam opinionem sub distinctionibus adjungit, & inter usuras, quatenus exiguntur ab opulento vel egeno, quoad illos affirmativam, quoad hos negativam amplectitur, & videtur imprimis huc facere textus Levit. cap. 25. vers. 35. 36. 37. adeoque quod pauperibus extorquetur, cum morsu proximi iniquè extorquetur. Ejusdem sententiæ est Maxius, *disc. lev. inop. deb. pag. 214.* & cum eò Arnold. de

de Reyg, aliquoties cit. loc. in addit. n. 3. Quid enim potest imputari ei, qui solvere, etiam si vellet, non potuit, *l. cum quidam. 17. §. 3. n. de usur.* Verum hoc non simpliciter est 4
asserendum, sed cum distinctione; Aut enim egenus mutuat à divite, aut ab æqualis fortis homine; si ab hoc, non iniquum fuerit aliquid rependi, sin ab illò, æquius est, nihil ultra fortem præstari, & ab hoc humanitatis & charitatis opere juxta principia universalis justitiæ non profus recedit jus Romanum, ut videre est *ex d. l. 17. Hahn. in not. ad Wesf. tit. 5 de usur.* ubi etiam *Not. IV.* dicit, esse speciem usuræ lucratorix, si quis ab egeno nomine usurarum quid exigat vel sibi promitti jubeat. Jam autem usuræ lucratorix sunt illicitæ & vocantur mordaces. Magnific. Dn. Struv. *Synagm. Civ. Exerc. XXVII. tb. 43.* ubi itidem ad lucratorias usuras refert, quando ab egeno, non ad lucrum adhibente pecuniam, quem re nostra (maximè si absque dispendio nostro fieri queat) juvare possumus & tenemur, compensatio, cum non sit, quod compensari debeat, exigitur; & hæc, dicit, jure etiam civili sunt illicitæ. Non tamen semper 7
creditor licitis suis usuris est privandus, sed interdum hæc res arbitrio Judicis debet dirimi ex bonò & æquò ita, ne debitor nimium gravetur, & ut creditor licitas suas usuras habeat, uti *Respons. fuit in Collegio. Jurid. Jenensi Mens. Augusto, Anno 1662.* teste Magnif. Dn. Præside in *Comm. ad Pand. Tom. I. part. 1. fol. 440. n. 55.* in casu, ubi quis frumentum eo tempore, quo non magni æstimabatur, mutuo 8
accepit hæc conditione, ut loco interesse aliquid frumenti solveret, sed ob moram debitoris carior fuit annona, tunc debitor loco frumenti promissi pecuniam voluit solvere creditori, sed recusanti, hinc Responsum fuit à laudato

E

dato

datò Collegiò Juridicò, quod egenus debitor, si necessitate coactus sumit mutuo frumentum, ut se aleret, non cogatur frumentum in natura solvere cum interesse, sed res
 9 arbitrio Judicis committenda. Ulterius paupertate laborantibus provisum est in *Recess. Imper. noviss. Ratisbonens. de Anno 1654. §. 173.* ibi: **Erstlich soll hiermit aller Aufstand der Zinsen und Interesse bis auf dato dieses Reichs Abschiedes / bis auff den vierdten Theil gänglich cassiret und aufgehoben / iedoch hierbey dem Schuldiger / welchem auch dieses bezahlende ein Viertel abzutragen unntuglich seyn solte / sein Vermögen gehöriger massen**
 10 zu probiren vorbehalten. Verùm hoc beneficium non conceditur debitori, nisi sit ejus capax, h. e. probet, se belli calamitate aut nimio pensionum, aut usurarum cursu fuisse aggravatum, unde, dicit Magnific. Dn. Præses in *laudatò Comm. Tom. II. part. 1. fol. 15. n. 56.* addimus in præjudiciis, quod hoc debitor teneatur probare. Dicitur autem *Recess.* nondum est receptus in *Curia provinc. Jenens.* obrationem, quam habet Dn. Præses *d. loc.*

ARTIC. II.

Considerat, an pauper possit esse testis.

11 **M**ultæ graves rationes contra paupertatem à multis afferuntur, quibus pauperes regulariter à testimonio dicendò repelli putant. *Arxer Process. histor. part. 1. cap. 7. obs. 2.* per jura ibi allegata, Cum quò consentit Arn. de Reyg. *d. loc. num. 51.* & Magnif. Dn. Struv. *Syntagm. Civ. Exerc. XXIX. th. 38.* ubi tamen nimiam egestatem intelligit. Et hoc

hoc primum nec minimum paupertatis incommodum dicit Speckh. *cent. 1. quest. 39. num. 1.* Ampliantur hæc, quod multò minus pauper possit esse testis in criminalibus sine torturâ, quia ibi requiruntur probationes luce meridiana clariore, per *l. fin. C. de probat.* Porrò repudiari dicuntur in causis civilibus arduis & gravibus, quæ criminalibus comparantur. Ulterius neque in matrimonialibus, quæ itidem criminalibus æquiparantur. Schneid. *ad tit. Inst. de nupt. num. 29.* Tandem nec in consecutione inventarii. *Hyrrer d. loc.* Ratio generalis est, quod persona egens facillè corrupta præsumatur propter inopiam & egestatem. Proverb. *cap. 20. v. 9.* *Hyrrer cit. loc.* & paupertas inducit præsumtionem rapinæ, maximè in Laicis, atque sic est præsumtio corruptelæ, Arnold. de Reyg. *d. loc.* in paupertate & inopiâ constituti facillè quæque facere præsumuntur, ut ab eâ vel in totum liberentur, vel saltim ex parte subleventur. Mascard. *de prob. conclus. cit. n. 1. usque 4. vol. 3. laborant suspitione subornationis.* Schneid. *ad Instit. tit. quibus ex caus. manum. non lic. §. quid igitur.* pauperes lucri gratiâ facillè aliquid admittere creduntur. Carol. Molinæus *Comment. ad Cod. tit. de testib.* ubi etiam hos adducit verficulos;

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requiratur.*

Paupertas etiam quandoque est Atticæ fidei, atque bonæ mentis nescia, imprimis quia constat, improbos & obarratos debitores plerumque omnia mala nosse, ac contra fallitos omnem conjecturam fraudis stare & crescere præsumitur. Arnold. de Reyg. *d. loc. in addit. num. 10.* ibique,

- 15 qui multum debet, mendax dicitur. Apud Persas duo fuisse peccata ex Herodoto constat, primum debere, proximum mentiri, & mutuam sumere mendacii principium illis dictum. Ex hisce adductis concludunt, quod pauper non
- 16 sit testis omni exceptione major *Ayrer. d. loc.* Forsitan etiam huc collimant Practici, quando semper interrogatoriis hoc immiscent, *Wie reich Zeuge sey? l. testium 3. princ. n. de testib.* Verum enimvero hæc suas patiuntur limitationes sive exceptiones. Nimirum canon ille, quo pauper regulariter repellitur à testimonio dicendò, semper intelligitur de paupertate, quæ est conjuncta cum vitæ vilitate & morum pravitate, pauper igitur honestæ vitæ ac integræ existimationis merito admittitur, neque enim testis idoneitas in divitiis, sed in fide principaliter versatur, & *cap. hoc. 3. art. 3.* probatum dedi, homines non facultatibus, sed moribus esse æstimandos, quod confirmat quoque
- 18 *Schneid. cit. b. art. loc. Mascard. d. conclus. n. 24. 25.* Nec procedit regula in iis pauperibus, qui in dignitate aliqua sunt constituti, in his enim omnem corruptionis suspicionem cessare dicit *Mascard. ibid. num. 27.* Fallit etiam regula, si pauper non ex suo vitio, fortè prodigalitate, &c. in paupertatem incidit. *Id. ibid. num. 22.* nam si aliæ circumstantiæ pauperem gravant, ut si sit circumforaneus erro, potat totos dies, ludit, &c. tunc haud immerito repellitur. *Carol. Molin. d. loc.* ob hanc rationem, quia qui vitiosus in se, multò magis in alium vitiosus præsumitur. *Socin. reg.*
- 19 *357. edit. noviss. fallent. 3.* cum in his argumentum ferè semper procedat; Est decoctor. E. & fraudator. Fallit insuper etiam regula, si agitur de probandâ innocentia, ut & si veritas aliter haberi non potest, hac enim in parte etiam inhabiles

habiles admittuntur. *Ayres. cit. loc. Dn. Struv. Syntagm. Civ. Exerc. XXVIII. tb. 41.* Deficit etiam regula hoc in ca- 20
 fu, si plures testes, partim integri & idonei, partim pau-
 peres & minus idonei producti fuerint, tunc enim fides
 pauperum & minus idoneorum suppletur per fidem cate-
 rorum. *Masc. alleg. loc. n. 28. 29.* Quoniam autem pauperes 21
 nonnunquam etiam veritatem magis dicunt quam divites,
 quos eadem facilitate praesumere possumus corruptos & sus-
 pectos, tam propter avaritiam & potentem ferociam,
 quam ob amicitiam erga sui similes, & invidiam erga te-
 nuiores, magis utique erit credendum pauperi virtuoso,
 quam diviti vitioso, ut ex Baldò asserit Socin. *cit. jam loc.*
 hinc etiam Dd. unanimiter id Judicis arbitrio relinquen-
 dum putant.

ARTIC. III.

De

Privilegio à tutela & cura.

ETiamsi tutela & cura sint munera publica, per *princ. In-* 22
stitut. de excus. tut. & neminem facile ab iisdem excusari
 conset, imò cogitur quis eadem suscipere & suscepta ad-
 ministrare, *l. gerere. 1. pr. de administ. & peric. tut.* tamen
 Rescripto Divorum Fratrum continetur, paupertatem da-
 re excusationem, si quis scilicet se imparem oneri in juncto
 possit probare, *l. paupertas. 7. n. de excus. l. post susceptam.*
40. §. 1. eod. & §. 6. Instit. h. t. Rectè enim pauperibus sa- 23
 tis alioquin oneratis succurritur, ne tutores esse cogan-
 tur, si nimirum operi & oneri se impares esse doceant. Et
 enim oneratis non est addendum onus, arg. *l. jure. 6. n.*
de Jur. dot. Jam autem paupertas est onus Aetna gravius,
 ut

- 24 ut Cicero dicit de senectute in Catone Majore. Alia etiam suppetratio, scil. quod crudelitati proximum sit, alterius causa seipsum deserere, cum ordinata charitas incipiat à seipsa, *l. Præses, 6. C. de servit. & ag.* Inò neque utile esset pupillo, habere tutorem pauperem, qui vel negligenter, vel non fideliter res pupillares propter inopiam gereret.
- 25 ret. Speckh. *cent. 1. quest. 37. num. 20.* Sed nunc quaestio- nis est, quomodo probabit pauper, sese imparem esse oneri injuncto? fortè si pupilli res suis comparet, vel patrimonii paupertatem ad calculum revocet; quod autem non videtur procedere. Gothofred. *ad d. l. 7.* dicit, creditur dicenti se pauperem, nisi contrarium notorium sit vel
- 26 probatum. Verùm tutissimum videtur, si demonstrare possit, sibi à rebus suis & negotiis, & dum victum sibi parat, vix tantum otii sibi superesse, ut aliena possit tractare, de quò commodissimè Judex pro re natà arbitrabitur. Heig.
- 27 *ad Instit. d. tit. de excus. d. l. paupertas. ubi glossa.* Judex etiam per ministros in facultates tutoris vel curatoris, qui se pauperem allegat, potest inquirere, ne sub prætextu fortè paupertatis onera publica aliquis declinare studeat. *d. loc.*
- 28 Bart. *in l. in illa stipulatione. 50. de V. O.* Nam paupertas non semper præbet excusationem, & hic locum invenit distinctio Bachovii *Comment. ad Instit. tit. de excus. tut.* ubi alias facit causas, quæ ex se & semper sunt habiles, quædam non ita, sed an habiles sint, requiritur cognitio cause, & eas Magistratus modò admittit, modò repudiat, & hujus generis est paupertas, si quis se imparem docet oneri injuncto, si scil. non possit suo sumtu quædam perficere sine impensis pupilli, (præsumitur enim pupillus alimenta à tutore percepisse, non de nihilò aut sine sumtibus vixisse. Gothofr. *ad l. ult.*

l. ult. C. de alim. pupill. prestand.) & quotidianâ operâ cogatur victum quarere, nec proinde negotiis tutelæ vacare satis possit, præsertim si tutela sit paulò diffusior. Notandum autem, quemadmodum omnes excusationes intra 50. dies debent opponi. *l. scire. 13. §. 1. Et l. quinquaginta 38. π. de excus. tut. Et §. qui autem. 16. Institut. eod.* Hahn. ad *Wesembec. tit. de prescript.* ita etiam forsitan hæc, aliàs illi præscribitur. Hæc de tutelâ vel curâ suscipiendâ. In susceptâ autem fidelem & diligentem tutorem non facit suspectum paupertas, quippe Imperator. §. *ult. Institut. de suspect. tut.* æstimat suspectum non facultatibus, sed moribus & fide, *jung. l. suspectum. 8. π. eod.* nec sola paupertas facit aliquem suspectum, nec satisfactio tollit suspicionem, per *d. §. ult. Institut. Et l. quia. 6. π. eod.* In hanc rem elegans locus est Senecæ, *Epist. XVII. Non est in rebus vitium, sed in ipso animò, quemadmodum nihil differt, utrum egrotum in ligneò lectò, an in aureò colloces, quocunque illum transtuleris, morbum secum transfert; sic nihil refert, utrum animus eger in divitiis, an in paupertate ponatur, malum suum illum sequitur,* hæc ille. Proinde manet verum, pauperem non esse removendum à tutelâ, nisi paupertatem comitari malitiam animi & malevolum propositum certò constet, sed potius si tutor ita est egenus, ut pupilli substantia periclitetur, curator locuples ei adungi potest, ut pupillo magis sit cautum. *l. pietatis. 6. C. de suspect. tut. Giphani, ad Institut. §. fin. h. t.* At imò hisce videtur obstare, quod tutor, licet non removeatur propter paupertatem, removeri tamen possit propter non præstitam satisfactionem, *l. eum. 2. C. de tut. vel curat. qui satis non ded.* Verùm respondet ipse §. *ult. Institut. de susp. tut.* in verb. *satisfactio tutoris*

toris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassan-
 35 di in re familiari facultatem præstat. Nam satisdatio tu-
 tori malitioso quasi præbet cuniculos, per quos citra ul-
 lius suspicionis periculum se irrepere posse in bona pupilli
 putat, & unicò hòc verbò, *satisdedi*, quasi clypeo excipit
 36 omnia suspicionis tela. Quid enim expedit pupillo, tabu-
 las rem salvam fore habere, rem ipsam autem salvam non
 esse? *l. suspectus 5. π. de susp. tut. l. suspectum 8. eod.* nec
 satis est, si tutor offerat satis, inquit Giphon. *ad Instit. d. t.*
 Hinc satis, ut modò dictum, videtur cautum esse pupillo,
 si locuples curator pauperi adjungatur.

ARTIC. IV.

Habet

Privilegium pauperum circa ulti-
mas voluntates.

- 37 QUANTUS sit favor paupertatis circa ultimas voluntates,
 scil. in testamentis, legatis & codicillis, apparet ex
 multis textibus Juris. Nam quod pauperibus testamento
 vel codicillis relictum est, modis omnibus ratum firmum-
 que esse debet, *l. generali 13. C. de SS. Eccles. & l. id. quod 24.*
C. de Episc. & Cler. in quibus legibus eadem ferè habentur
 38 verba. Ampliatur in eò casu, quod etiamsi testamentum
 inofficiosum sit nullum, tamen legata in illis relicta gene-
 raliter peti possunt, Magnif. D. Præf. *in Comment. ad Pand.*
Tom. I. part. 1. fol. 328. n. 36. Ergò multo magis legata in
 illis pauperibus relicta tanquam favorabiliora debentur.
 39 Ulterius ampliatur, quod etiamsi quarta de legatis & fidei-
 commissis detrahi possit per *l. Marcellus. 3. §. item. 2. π. ad*
Scutum Trebei. tamen fallat in relicto alimentorum pauperi
 facto.

facto. Socin. *reg. 411. edit. noviss. fallent. 2.* Planè si legata relicta sint templo aut Ecclesia, non tamen constet ex testamento cui templo, cum multa in illa civitate sint, in dubio illi relicta censetur, quod cæteris est indigentius & magis opis & eleemosynæ egens. *l. quoniam. 26. §. 2. C. de SS. Eccl. jung. l. si quis. 49. §. 1. C. de Episc. & Cler. & Novell. 131. c. 9.* Et omne, quod relinquitur pauperi, in dubio intelligitur relictum ad pias causas. Arnold. de Reyg. *Thes. voce, paupertas n. 46.* insuper si certa quantitas in testamento sit relicta pauperibus, in plures pauperes non in unum est distribuenda. Mynsing. *Cent. 5. obs. 67.* Ulterius alimentorum **41** legatum est largè accipiendum, quando relictum est pauperi. Peregrin. *cons. 41. n. fin. vol. 1.* Obiter, Episcopi tenentur procurare, ut pauperibus prospiciatur de alimentis. Brunnem. *ad l. negotiatores. 1. C. de Episcop. aud.* Nam ad Episcopum pertinet cura oppressorum, *cap. 1. & 2. dist. 84. c. non satis. 14. dist. 86.* Relictis autem bonis pauperibus, tunc appellatione pauperum etiam veniunt pauperes affines & conjuncti testatoris, uti dicit Arnold. de Reyg. *d. loc. n. 54. ex Papon. lib. 20. tit. 6. arresto. 8. & 9.* Relictum verò **42** legatum pauperi ex familiâ, censetur illi relictum, qui nihil habet proprii, sed ex officio & operis manualibus victum & amicum quærit, & sic respondisse Scabios Lipsi. docet Magnif. Dn. Præses. *cit. loc. fol. 280. n. 42.* Cæterum quam- **43** vis pietatis & religionis favore valeat generalis pauperum institutio, per *d. l. 24.* tamen non ad omnes omnino pauperes, ubicunque degunt, institutio talis pertinet, sed ad ejus civitatis pauperes, ubi testator versatus est, *arg. l. que conditio. 39. §. fin. de condit. & demonst. Covarr. in c. cum tibi, n. 14. extr. de test. Eman. Costa. in c. si pater, in verbo pauperes*

- peres p. 1. de test. Petr. Heig. ad Inst. f. 198. n. 4. De Jure
 44 etiam antiquo incertis personis non licuit legare, juxta §. 25.
Inst. de leg. id autem quod pauperibus relinquitur, adversus
 Jus vetus Imp. Constitutionibus singulari pietatis favore
 admissum fuit. Heig. *Comm. ad Inst. pag. 237. n. 6.* rationes
 sunt, tum favor piæ causæ, tum, quia pauperes instar colle-
 gii se trahebant, quod vicem personæ repræsentat, tum, quia
 DEUS videtur institutus, qui certus est, tum, quia si quæ in-
 certitudo hiesit, ea per executores Episcopum tolli & cer-
 ta persona constitui potest. Brunnem. *ad l. id quod, 24. C. de*
Episc. & Cler. Hæc de legatis pauperibus in genere. Nunc
 45 videndum, quid valeat, si huic vel illi pauperi quid relinqua-
 tur. Et quidem legatis alimentis pauperi scholari, etiam ei
 scholari debentur, qui licet habeat *centum* in bonis, tamen
 pauper scholaris dici potest, quia hæc summa non sufficiens
 putatur ad instituendum, & prosequendum studium. Ma-
 scard. *de prob. conclus. 1154. n. 8. in fin.* Mynsing. *cent. 4. ob-*
 46 *serv. 97. circa fin.* Et legatà dote pauperibus puellis, hæc quo-
 que dotem habebunt, quæ licet ex artificio quodammodo
 sese alere possint, non tamen habeant, unde dotem fumant.
Id. Mascard. d. loc. n. 9. 10. & 28. Et si testator relinquit pe-
 cuniam pro elocandis pauperibus puellis, debet id intelligi
 de his, quæ laborando victum quotidianum sibi quarunt.
 Schneid. *ad Inst. tit. de excus. tut. §. sed & propter. 6. n. 2.*

CAPUT IV.

ARTIC. I.

De Privilegio pauperum
in delictis.

- 1 **A** Pertissimi Juris est, Reipubl. interesse, ne scelera ma-
neant

neant impunita. His tamen non obstantibus pauper habet tale privilegium, quod furtum ob famis & egestatis necessitatem ab eò commissum excusationem mereatur, Gail. *obs.* 142. n. 8. *ante fin.* Speckh. *cent.* 1. q. 37. n. 5. Verùm hisce in casibus cautè videtur esse procedendum, ne homines impunitatis securitate alliciantur ad mala & cavendum, ne contra justitiam favor pauperum amplietur. In scortatione contrarium sentit cum B. Carpz. *Prax. Crim.* q. 70. n. 29. *seqq.* Magnif. Dn. Præf. *in Comm. suo ad Pand. Tom. I. p. 1. fol. 24. num. 88.* ubi dicit, puella vel mulier non potest alteri sui corporis copiam facere, ut pecuniam accipiat & corpore corpus alar. Ast heu! is quæstus est nunc multò uberrimus. A perjurio etiam dicitur paupertas excusare à Mart. Benckend. *ad Seraphin. in add. priv.* 114. teste Arn. de Reyg. *aliquoties cit. loc. n. 68. & in addit. n. 2.* ubi multos Dd. allegat. Nam pauper, qui juravit solvere in certò terminò, nec postea id facere potest, quoad reatum excusatur à perjurio Mynf. *cent.* 4. *obs.* 97. *vers.* & *scribit.* Innoc. Gail. *obs.* 142. n. 4. Rol. à Valle *Conf.* 87. n. 46. Longè secus se res habet in crimine læsæ Majestatis, à quò tantum abest, ut excuset paupertas, quin potius etiam filii committentium illud crimen à maternâ vel paternâ hereditate & successione habentur alieni, idèò ut perpetuò egentes atque pauperes constituentur, l. *quisquis. s. §. 1. C. ad L. Jul. Majest.*

ARTIC. II.

De Privilegio pauperum
in pœnis.

Regula Justitiæ est, quod pœnæ debeant correspondere delictis, tamen in certis quibusdam casibus limitationem

nem recipit, ut ecce in pauperibus, qui scilicet in irrogandâ poenâ pecuniariâ extraordinariâ sive arbitrariâ mitius puniri dicuntur quàm divites, *l. illicitas. 6. §. fin. Et ibi Bart. de offic. Præs. Bald. in l. acceptam. q. 23. C. de usur.* Speckh. *7* *pe cit. q. 37. n. 24.* Hoc autem non procedit in remissione poenâ corporalis, in hac enim pauper gravius punitur, quàm dives. *arg. l. Pedius. 4. §. de incend. ruin. l. nemo. 4. C. de summ. Trin.* Nec in poenâ pecuniariâ ordinariâ quæ à lege est statuta. Nam tunc, qui non habet in are, luat in corpore. *l. fin. §. de in jus voc. Et l. fin. Cod. de sepulch. viol.* *8* Schneid. *ad Instit. tit. quibus ex caus. manum. non lic.* Dicitur etiam pauperes excusari à poenâ æternâ, quando non possunt restituere illicitè capta, si modò serio pœniteant. *Rol. à Valle conf. 87. n. 42. 43. & inter privilegia pauperum refertur à Speckh. cit. sup. loc. n. 13.* quod intelligendum est juxta mentem Papicolarum, qui statuunt, quod peccatum non remittatur, nisi restituatur ablatum. Sed hæc relin-
9 quo Papicolis. Potest hic subijci quæstio, (quoniam modò aliqua huc spectantia sunt intermixta) an pauper vel ignobilis gravius puniatur, quàm dives & nobilis? Sæpius hodiè hæc quæstio affirmativè solet tractari in vitâ communi. Verùm hanc seqq. distinctionibus conciliat Schneid. *Instit. tit. de act. n. 62.* quem idè exprimo, ne quasi plagium commisisse dicar. *Aut loquimur de poenâ pecuniariâ, aut de corporali.* Illa est vel ordinaria, vel extraordinaria. In extraordinariâ, ut *sub. b. art. n. preced. 6. dict.* mitius, in ordinariâ gravius punitur, extraordinaria potest remitti, ordinariam, si nihil in are, corpore luere debet. Si loquimur de corporali, tunc gravius punitur pauper & ignobilis; iterum tamen
11 sub certâ distinctione; vel poenâ est determinata à legibus vel

vel non; Si non, res subjacet arbitrio Judicis; minor enim
 poena in ignobili & paupere est major in nobili. Si est deter-
 minata, tunc par est utriusque poena. Homicida enim hodie
 sive nobilis, sive ignobilis capite plectitur. Quoniam autem 12
 arctam habet affinitatem cum modò dictis, tritissima illa &
 vel in Trivialibus nota regula, *qui non habet in are, luat in*
corpore, ideò in quibus valeat vel non, adjungam. Hæc regu-
 la à Zafid ad *Inst. t. de act.* ita effertur, subsidiarium tergum
 præbeat, cui non suppetit pecunia. Fundamentum autem 13
 hujus regulæ ponitur in *l. si quis id. 7. §. in servos. 3. π. de Ju-*
risd. l. si sine. 25. de in jus voc. l. qui ades. 9. de incend. ruin. l.
quotiens. 1. §. generaliter. 3. de pœn. l. eos qui. 6. §. nec puen-
ut. C. de mod. mult. l. quicumque. 4. v. quod si. C. de serv. fugi-
tiv. l. ex quò. 12. §. illud. 5. in fin. §. provideat. 8. C. de edif.
priv. & lib. 2. feud. t. 53. §. 1. Hanc regulam veram esse pu- 14
 tant Bart. Baldus, Imola, etiãsi in unò nummò deficiat,
 quod meritò inhumanum pronunciat Gothofr *in not. ad d.*
l. 4. C. de serv. fugitiv. Procedit autem hæc regula I. in obli- 15
 gatò ex delictò, quando sc. illud, quòd solvendum est, debe-
 tur tanquam poena delicti. Schneid. *ad tit. Inst. de act. n. 57.*
 II. Procedit in personis vilibus, ut servis, & aliis infima con-
 ditionis hominibus. Sunt enim tales persona aliquando ita 16
 induratæ ad pœnas, ut propter vilitatem famæ & vitæ con-
 temnant plagas; & hæc propinquâ amicitia contingunt *psô-*
mocolaphos. III. Procedit in volente, cui pœnâ ista pecunia-
 ria erat applicanda. IV. Habet locum in pœnâ ordinariâ sta-
 turâ & expressâ à lege. Schn. *d. l. n. 6.* Non autem procedit 17
 I. in obligatò ex contractu. Nam tunc, si cesserit bonis, libe-
 ratur à carcere, & creditor tenetur expectare, donec debi-
 tor ad pinguiorem fortunam perveniat. *l. qui bonis r. C. qui*
bon. ced. poss. Schn. cit. loc. Gothofr. all. toc. II. Fallit in no-
 bili-

- bilibus & aliis honestis personis, *arg. l. capitulum. 28. §. non omnes. 2. π. de pœn. ibid. Gothofr. d. l. III.* Non invenit locum in illo nolente, qui multam erat accepturus. Nam Judex parte non petente, cui pecuniaria pœna debetur, non potest illam convertere in corporalem. IV. Non observatur in delictis minimis. Propter leves enim transgressiones
- 19 pauperes non sunt in corpore puniendi. Huc facit textus humanissimus in *l. perspicendum. u. princ. π. de pœn.* ibi: *perspicendum est Judici, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit. Nec enim aut severitatis aut clementie gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus autem severitatem legum cum aliquò temperamento benignitatis subsequi debent.* Utinam, inquit quidam, nonnulli Judices & quæstores imperiosiores hanc legem benè observent, nec adeò sint liberales in infligendis pœnis, neque nimium ergà misellos & infontes sapè rusticos arbitrio sibi relicto abuterentur. V. Receditur à Regulâ in pœnâ difformi vel extraordinaria, i. e. ubi à lege non est determinata, quæ committitur arbitrio Judicis normam in *d. l. u. propositam* observantis. Plurima hæc de hac regula ex Schneid. *cit. loc.* ex quò etiam Eberh. Speckh. integram ferè *quæst. 40. cent. 1.* composuit, huc apponere, argumento desumpto à majore ad minus, sum conatus, non sperans, quempiam ideò me actione de tignò junctò esse pulsaturum.

ARTIC. III.

De Privilegio pauperum
in appellatione.

- 22 Circa materiam appellationum pauperes insignibus quæque

que gaudent privilegiis, & quidem palmarium faciunt Dd. quod pauperibus non currant fatalia introducenda & prosequenda appellationis, tum quod impossibile nulla sit obligatio, tum etiam quod difficultas à mora excusat, uti refert Myns. cent. 4. obs. 97. in prin. & Gail. lib. 1. obs. 142. n. 1. & 2. ubi hoc legitur exemplum; quendam pauperem liberatum fuisse à pœna furcarum, eò quod propter paupertatem appellationem debito tempore prosequi non potuisset. Limitatur tamen, hoc non procedere, si pauper quis sua culpa sit factus, quia beneficia pauperibus concessa tali casu non competunt. Hippol. Marsil. in pract. crim. §. ordin. n. 12. 13. Arn. de Reyg. d. sepe loc. n. 5. & Speckh. cent. 1. quest. 37. n. 1. In hoc autem, utrum pauperes, si omninò appellationem omiserint, & sic decendum appellationis elabi passi fuerint, paupertatis prætextu excusentur & impediunt cursum fatalium, interpretes inter se non conveniunt. Distinctionibus rem expediunt seqq. distinguendo 1. inter appellationem ab interlocutoria vel definitiva ex intervallo scil. intra decendum in scriptis faciendam, & inter appellationem viva voce à definitiva in continenti & **ME VO-**cant, stante pede, **mit unverwandren Fuße** interponendam. Illo casu, quia sumtus faciendi & pro instrumentò appellationis aliquid expendendum pauperem excusationem mereri. Hoc verò casu paupertatem, quia nihil debeat erogari, à desertione non excusare. Mynsing. cent. 4. obs. 97. Gail. lib. 1. obs. 142. n. 3. 2. Distingunt, aut minor, aut major impensa est facienda; si major, non currit, sin minor, certè currit ejusmodi fatale. Gail. d. loc. Durior adhuc est Jason in l. invitus. num. 8. C. de procur. indistinctè concludens, pauperi hoc casu interponenda appellationis decendum

dium currere, eò quod minima sit illa impensa, quæ ad in-
 19 terponendam appellationem requiritur. Sed quomodo hoc
 casu consuletur ei, qui neutras impensas, neque minores, ne-
 que minimas, taceo majores, habet? Gail. *d. loc.* alium modo
 cuneum quærit hâc distinctione; Si paupertas coram Judi-
 ce primæ instantiæ jam allegata & probata sit, priorem di-
 stinctionem ut benigniorem & veriolem procedere; sin ve-
 rô paupertas post latam demum sententiam coram Judice,
 appellationis allegata sit, absq; differentia intra decendum
 appellandum, aut de paupertate docendum, (aliàs senten-
 tiam transire in rem judicatam) sic procedere, asserit, Jafonis
 opinionem. *vid.* etiam Anton. *Quæst. cap. 31. contrav. Jur.*
 30 Quæ distinctio videtur rei convenientior; Nam si ratio
 decidendi consistit in impensarum defectu, non video quid
 statuendum in illò casu, quò, præstito juramento pauper-
 tatis, Processus gratis indulgentur & Advocati etiam gratis
 patrocinari coguntur, uti supra ostensum, an scil. hoc in
 casu fatalia currant, cum planè nullæ sint faciendæ impen-
 31 sæ; Et putaverim juxta modo datam distinctionem, currere;
 cum talem appellantem nihil impediret, nisi fortassis pro-
 pria & resupina negligentia aut alia similis causa, & tunc
 meritò experiretur, jura vigilantibus esse scripta, per *l. pupil-*
 32 *lus. 24. π. quæ in fr. cred.* Cæterùm ob paupertatem appel-
 lantis potest Judici à quò injungi, ut Acta in originali, ut lo-
 quuntur, transmittat ad Judicem ad quem. Brunnem. *in-*
l. 15. C. de appell. in fin. Hillig. *lib. 28. c. 7. lit. N. vid.* tamen
 Carpz. *in Process. Jur. T. 18. A. 5. §. 84.* Sicut aliàs eorundem pau-
 peri gratis Acta sunt edenda, Arnold. de Reyg. *sep. cit. loc.*
num. 13. ne sc. justitia pereat. Gail. *observ. 43. num. 15. §. 16.*
in princ.

AR

Privilegio pauperum, quo excusan- tur à muneribus, &c.

Quoniam ad felicitatem muneris gerendi multum facit **33**
bona hominum de gerente opinio, & inde honoris
debiti promptitudo, inopes verò difficulter illam conse-
quuntur, cum abjecta & vilis habeatur paupertas, & id vi-
tium insitum reperimus mortalibus, ut ægrè obsequantur
aut honorem tribuant se tenuioribus, ut ut melioribus.
Mev. *disc. lev. inop. deb. pag. 127.* Nec expedit Reipubl. si **34**
is, qui illi præest, vel pauper vel avarus est, uterque enim
suspicione laborat, quod non benè sit prospecturus Reipubl.
Hinc apud Romanos ut constat ex Historicis, erat definitum,
quantis facultatibus deberet esse instructus, qui Con-
sul creari vel alio officio publico fungi vellet, & ideò pau-
peres non facilè adipiscuntur Magistratum, per *l. Rescripto.*
6. princ. n. de muner. Hoc tamen notandum, quod officio **35**
non sint exuendi, qui postea inopes sine culpà redditi.
Carpz. *7. F. S. P. 2. C. 22.* Excusantur etiam pauperes à mu-
neribus vel potius oneribus patrimonialibus & personali-
bus, pro illis facit *l. cura. 4. §. inopes. 2. n. de muner. & hon.*
pro utriusque l. cum. 4. §. l. eos. 6. C. de bis qui num. lib. vel
paup. excus. Hahn. *in not. ad Wesenb. tit. de vac. §. excus.*
Subditi quoque non tenentur ad æstimationem operarum **36**
rusticarum ob paupertatem non præstitarum. Magnif. Dn.
Richt. *Decif. 98. n. 30.* Quid? quod pauperes non teneri ad
contributionem refectionis templorum, illisque per offi-
cialem collectas remitti posse contendit Rol. à Valle *cons.*



87. n. 49. & 5. inde pauperum portio collectarum gravat alios cives opulentos Klock, *de contrib. cap. 13. sect. 2. num.*
37. Sed hæc omnia procedunt, quamdiu pauperes sunt tales, nam si ad pinguiorem fortunam perveniunt, amplius non sunt immunes à tributis & collectis, Klock. *d. loc. n. 69. l. ab hīs. 10. §. 5. de vacat. & arg. l. semper. s. §. 8. de immun.*

ARTIC. V. & ult.

Coronidis loco annectit quædam de studiosis pauperibus, quos vo- cant stipendiatos.

38. Paupertatem ferè perpetuum esse studiosorum contubernalem, proh! multi experiuntur & mecum confitentur, & hæc admodum injuriõsa est in literas, quippe quæ sæpè idonea ad Musas ingenia si non absterret & deprimit, ad minimum tamen remoratur & impedit, quod eleganti emblemate ostendit *Alciatus in embl. suis*, cui subsequentes apposuit versiculos:

*Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,
Ut me pluma levat, sic grave mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces,
Me nisi paupertas insida deprimeret.*

39. Philosophorum quidem nonnulli maximopere Philomusis commendant paupertatem, & illorum propria dicitur esse professio, spernere mercenariam operam. *l. Præses t. §. 4. w. de extraord. cogn. Jung. l. 8. §. 4. n. de vacat. & excus. mun.* Hinc Seneca *epist. XVI.* dicit, *quid est ergo, quare tu hanc recusas contubernalem, cujus mores sanus dives imitatur.*



*tur. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi
 similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cu-
 ra, frugalitas autem est paupertas voluntaria.* Verum Se- 40
 necæ, utpote Stóicæ Philosophiæ addicto (quæ secta, ut no-
 tum est, pecuniam contemnebat,) absit ut invidemus pau-
 pertatem; Nobis etiam ille non irascetur, si non in ipsius
 sententiam eamus. Contrarium enim multi sentiunt, qui
 in Academiis miseram tolerando vitam sæpè cum singultu
 ingemunt, unde sumimus panem in deserto, unde libros,
 unde vestimenta, unde alia necessaria. Mirum est, quod 41
 de Academiis Italicis refert Carol. Molinaus *Comment. ad
 Cod. tit. de usur.* ibi, dicit, Doctores dant studentibus pecu-
 niam, & adjiciunt expressa pacta, ut lectiones suas audiant,
 eum in finem, ut ex frequentia auditorii majus ipsi habeant
 stipendium, quos tamen *d. l.* vocat *usurarios*. Cæterum 42
 curas atque sollicitudines esse animorum teredines, inge-
 niorum remoras, meditationum fures, optimè norunt illi,
 qui tales exstruxerunt scholas, in solitariis locis sitas, in quas
 selectas habiles personas ab omnibus omnino impedimen-
 tis removerent, de victu & amictu prospicerent, atque
 omnia, quæ aliàs solent accersere curas, suppeditarent, (hæ
 enim immane quantum distrahant animum studiis operam
 navare suscipientem;) quin imò hæc etiam ratione ob-
 jecta illa, quæ sæpissimè animos studentium diversum rap-
 piunt, eorum oculis eriperent, & hoc à Jesuitis quoque tan-
 quam arcanum regni literarii practicari notum est. Verum 43
 enim verò his malis multi etiam Principes virtute omni
 præconio majore obviam ire sunt, soliti, dum beneficia, quæ
 stipendia vocantur, constituerunt, ut iis conferrentur, qui
 digni tam salutari remedio probati fuerint, ut videre est ex

- Ordin. Provinc. Serenissimi Ducis Saxoniae ERNESTI. *part. 1. cap. 7. tit. 1.* in verb. und Wir selbst über das von dem Unterfertigen stipendia, aus Christlicher und gnädiger Zuneigung/zu Beförderung der studien zu conferiren pflegen/ *zc. it.* Als wollen Wir/ daß wo dißfalls eigentliche Stiftungen vorhanden / dieselbe in gute Obacht genommen /
- 44 und die collaturen deren gemäß verrichtet werden. *zc. Præprimis autem horum beneficiorum collatione gaudent pauperes studiosi, positus scilicet terminis habilibus, ut iterum apparet ex dicta ordin. cit. loc. in verb.* Auch sollen diejenige Stipendia, so eigentlich für die arme gewidmet / denen / welche so arm und dürftig / daß sie sich von ihren eigenen patrimoniis nicht leichtlich unterhalten mögen /
- 45 gegeben werden. Consentit & ferè verbotenus coincidit die Fürstl. Sächs. Coburg. Stipendiaten Ordnung S. 3. Es sollen aber allein denen Stipendia gereicht werden / welche so arm und dürftig / daß sie sich von ihrem Patrimonio nicht unterhalten können / darneben unsere Consistoriales bey ihren Pflichten und Gewissen mit allen Fleiß zu verhüten / daß nicht aus Gunst / Freundschaft und Gabe der Reichen und offermahls zum Studiren unfügliche
- 46 Kinder den armen vorgezogen werden. Huc facit locus D. Job. Matthæi Meyfarti avunculi mei desideratissimi p. m. in seiner Erinnerung von den Evangelischen hohen Schulen / *lib. 1. c. 7.* die meisten des Teutschen Adels / werden darinn auf die hohen Stifter gethan / oder auch wol gar eingekauft / daß sie von den milden Almosen / welche
- 47 doch den Armen gebühren / *zc.* Porro limitantur hæc beneficia & restringuntur ad eas præprimis personas, quæ in conferentis territorio nati sunt atque educati, hinc iterum dicit

dicit *laudat a Ordin. Gothana. d. loc.* Ins gemein und so viel
 die fundationes es zulassen/sollen auch berührte Stipendia
 und beneficia, zu förderst denen in unsern Landen ein-
 gebornen und gezogenen verliehen werden / es wäre
 denn / daß zuweilen derer etliche sonderbahrer Urfa- 48
 chen halber auf Aufwürdige verordnet würden. Rurfus
 ad stipulatur die Fürstl. Sächsl. Coburg. Stipendiaten Ord-
 nung *in verb.* Als sollen die Stipendia zu förderst denen
 Landkindern / so in unsern Landen gebornen und erzo-
 gen / gereicht werden / jedoch *ic.* Nec abludit die Gräffl. 49
 Schwarzburg. Stipendiaten Ordnung *bis verbis*: Es sol-
 len vor eins alle die ienige / so Stipendien theilhaftig zu
 werden begehren / in hiesiger Herrschaft gebornen und
 aufgezogen seyn / auch also dieselben keinen andern / aus-
 ser halb sonderbahrer / auf wichtigen Ursachen gegrün-
 dete gnädiger dispensation conferiret und gereicht wer-
 den. Et hanc sententiam quoq; confirmat illustris Dn. Veit
 Ludwig von Seckendorff / in seinem Teutschen Fürsten
 Staat *part. 2. cap. 14. n. 8.* Cur autem indigena præ exteris 50
 aliquâ prerogativâ gaudere debeant, seqq. dari solent ratio-
 nes, 1. Quia plerumq; peregrinorum ingenia, educatio, lin-
 gua, mores & studia à domesticis soleant esse diversa, quæ ra-
 tio fundatur in *Ordin. Eccles. Coburg. §. 1. verb.* Die Erfah-
 rung aber bezeuget / daß umb vielerley Ursachen willen
 Kirchen und Schulen durch die Ausländischen nicht alle
 wege zum nüglichsten gedienet weil sie nicht allein an den
 ingenis einander ungleich / sondern auch auff eine andere
 Weise erzogen / und oftmahls allein der ausländischen
 ungewöhnlichen Sprachen halber unsern Unterthanen
 unangenehm und unverständlich seyn. Quæ omnia autem
 de

- 51 de extraneis nimium remotis videntur intelligi. 2. Quia indigenæ etiam ratione naturæ & curæ magis patriæ favent, & majore fide & charitate eidem obstricti tenentur, cum eo ipso in solo, ad quod deinceps regendum accedent, nati & facti sint. Propria siquidem patria major cuique videtur, & suavior & præstantior alterâ terrâ, *arg. l. qui habebat. 101. de leg. 3. l. libertus. 17. §. 4. π. ad municip. & natale solum dulcedine cunctos attrahit.* 3. Subditorum utpote popularium plerumque magis quam suo invigilant commodo. Sigism. Finckelth. *tract. de Jure patron. c. 5. n. 65.* 4. Quia Respub. constituit quasi unum corpus in corpore autem membra invicem inter se succum & sanguinem partiuntur & distribunt, nec alioversum derivant. 5. Experientia insuper docet, quod exteri non rarò etiam existant ingrati, quod vivum exemplum hic loci ante annum plus minus comprobavit; quidam enim qui hic (*J. C. G. v. C. a. B.*) multis subsidiis sublevabatur, accepto tandem gratis Magisterii titulo ad castra Papicolarum, quæ Praga sunt, unde prius emerferat, rediit. Ex quo exemplo obiter notari potest, quanta fides sit habenda ejusmodi transfugis, quorum nonnullos rectius dixeris speculatores, qui religionem tanquam nasum cereum tractant, & toti ab ancipiti temporis mutatione pendent;
- 54 Modo enim culpatus eò ingratitude & impietatis prorupit, ut non erubuerit post abitum suum literas hùc mittere, in quibus impudicè confiteretur, se velle ipsammet suam disputationem, quam antea sub præsidio B. D. Gerhardi, nescio, quâ fronte, defenderat, refutare, inque eam rem peccatiam, quam hùc secum abstulerat, impendere. Sed hæc *παραλογισμα*. Non autem est, ut quis putet, me rationes dictas tanquam pro universaliter concludentibus venditare, falsum esse

esse si hoc affirmarem, iniquus, si affectarem. Quis enim
 exteris dignioribus, probata fidei & nullius suspicionis sub-
 sidia atque beneficia invidabit? Aliud præterea genus est, 56
 quo pauperioribus in Academiis versantibus & Musis ope-
 ram navantibus subsidium afferri solet, quod laudatus Do-
 minus **Veit Ludwig von Seckendorff** *cit. loc.* sic describit:
**Eine andere Guttbat geschieht auch der studierenden Ju-
 gend damit/ daß auf Gymnasis und Universitäten eine ge-
 wisse Person œconomus oder Speiser verordnet/ wel-
 cher eine ziemliche Anzahl armer oder doch nicht sonder-
 lich vermögender Schüler und Studenten umb ein ge-
 ringes Kostgeld/ an einen besondern Ort mit einander
 speiset/ welches man die communität nennet/ darzu dem
 die Herrschafft oder auch andere ehrliche Leute einen Aus-
 schuß jährlich thun/ damit dieselben Speiser ohne Scha-
 den seyn. Cujusmodi beneficii genere etiam hic loci multi 57
 fruuntur, & mecum grato animo agnoscunt. Quamvis in-
 terdum istiusmodi œconomi magis proprium interesse &
 incrementum cum multorum sæpè sanitatis detrimento &
 citra instituti rationem promovere nimis laborent. Ne au- 58
 tem munificentissimi talium beneficiorum fundatores &
 conservatores suis defraudentur sumptibus, & quasi mari se-
 mina commississe videantur, multis modis personæ obligan-
 tur, ut stipendia rectè & ritè adhibeant, literis diligenter
 incumbant, examinibus sese subjiciant, & tandem, si digni
 munere, illis à quib⁹ acceperunt beneficia, officia præsent fi-
 delissima, neq; illis ignorantibus & nolentibus aliorum mu-
 nera fungenda suscipiant, quod itidem inculcat laudatus il-
 lustris Dn. **Seckendorff** *alleg. loc. verb.* und hingegen mit 59
 tels eines schriftlichen Scheins verpflichtet werden/ ih-
 ren**

ren studiis fleißig ob zu seyn/und sich einsten umb gebüh-
liche Besoldung in Diensten brauchen zu lassen/auch ob-
ne des Herrn/ dessen Stipendium sie genießten/Willen
60 und Wissen andere Dienste nicht anzunehmen. *Tantum*
p. t. de hac materia, ex quibus aliquantis per patet, quod pau-
pertas interdum profit, quod prodesse sibi Cynus non optat,
sed dicit in l. id quod C. de Episc. & Cler. ab hoc prodesse liber-
ret nos Dominus. Possem quidem multa pauperum privi-
legia annectere, quæ adhuc restant, partim circa contractus,
partim dotes, partim matrimonialia & alia. Excusat enim
paupertas patrem dotem filia secundò nubentis deminuen-
tem, per authent. C. de rei uxor. act. nec propter paupertatem
conjugis concedendum divortium. Carpz. Jurispr. Con-
61 *sist. l. 2. def. 204. n. 3.* Verum quia periculosius esset, pauper-
tatem ingenii in multis prodere, quæ tamen in paucis ab-
undè ostensa, ideò haud injuria divitem hanc paupertatis
materiam aliis eruditioribus relinquens Deo pro præstito
auxilio, cui si quid boni est abscribo unice, gratias, quas
mens humana potest, exsolvo maximas & immortales.

Feci, quod potui; potui, quod CHRISTE dedisti,
Improba fac melius, si potes, invidia.

FINIS.



D1 A 6540

ULB Halle

002 937 247

3




Sb.

W 17







No. 16.

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA

De
Privilegiis Pauperum,

Quam
JEHOVA JUVANTE,
Et

SENSU MAGNIFICI
in hac alma Salana Jctorum Ordinis

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Præ-Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. JOH. VOLK. Bechmanns /
Hereditarii in Gubern. Gröbra / Jcti & Ante-
cessoris Celebratissimi, Consilarii Saxonici Eminentissimi,
Curia Provincialis, Facultatis suæ & Scabinatus Alfefforis
Gravissimi,

Domini Præceptoris, Patroni, & Mæcenatis magni, im-
mortali honori atque filiali observantiâ
colendi,

Placida Eruditorum disquisitioni exponit

CUNRADUS Juncker / Waltershusa. Thuring.

AUTOR & RESPONDENS

Ad d. Septembr.

ANNO M DC LXVIII.

JENÆ,
Typis JOHANNIS NISI, 1702.